VIRI ILLVSTRIS

GODEFRIDI GVIL. LEIBNITII EPISTOLAE AD DIVERSOS,

THEOLOGICI, IVRIDICI, MEDICI, PHILOSOPHICI, MATHEMATICI, HISTORICI ET PHILOLOGICI ARGVMENTI,

E MSC. AVCTORIS CVM ANNOTATIONIBVS SVIS PRIMVM DIVVLGAVIT

CHRISTIAN. KORTHOLTVS,
A. M. ORDINIS PHILOSOPHICI IN ACADEMIA LIPSIENSI ASSESSOR, ET COLLEGII MINORIS PRINCIPVM COLLEGIATVS.

LIPSIAE
SVMTV BERN. CHRISTOPH. BREITKOPFII.
CIↃ IↃ CC XXXIV.

REGIAE SVAE CELSITVDINI,

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

CAROLO FRIDERICO

HEREDI NORVAGIAE,

SVPREMO DVCI SLESVICI, DVCI HOLSATIAE, STORMARIAE ADITHMARSIAE, COMITI OLDENBVRGI ET DELMENHORSTI,

AC RELIQVA,

PRINCIPI AC DOMINO MEO

LONGE CLEMENTISSIMO.

REGIE ET CELSISSIME

PRINCEPS,

PRINCEPS AC DOMINE MVLTO INDVLGENTISSIME.

Patere, PRINCIPVM MITISSIME, me minimum ciuium TIBI ſubiectorum, qui modo apud Anglos cultum animi capeſſo, publice TE abſentem compellare. Memini enim, TE moleſte non ferre, me quasdam lucubrationum mearum ante oculos TVOS coram expo-

nere

nere demissisime. Tum vero mansuetudinis inusitatae abundantiam nihil huiuscemodi merenti significasti, propensiorisque in me voluntatis indicia, et animum mihi dedisti clementissime, ut qui labores meos offerre quondam sustinui, nunc alienas viri ab omni genere doctrinae instructissimi scriptiones ex more antiquo REGIAE TVAE CELSITVDINI *despondere audeam, et dedicare subiectissime. Earum auctor est vir illustris Godefridus Guilielmus Leibnitius, quondam consiliorum Caesariorum, Regiorum et Principalium socius, et consilii etiam Augustissimi soceri* TVI, PETRI MAGNI, *minister: quod haec ipsae litterae Leibnitianae satis declarant, maximarum Imperatoris*

lon-

longe gloriosissimi dotum ac virtutum Caesarianarum passim laudatrices. Quibus quidem epistolis ad diuersos, et auctoris sui existimatione, et varietate omnis generis eruditionis, ad quam ipse non leuiter institutus, sed ab ineunte aetate largius imbutus es, TIBI se satis commendaturis tribues temporis quantum poteris, poteris quantum voles, DOMINE LONGE CLEMENTISSIME. Quum autem laude mea haud indigeant litterae viri in omni litteratura exquisitissimi, restat, vt earum editor his tamquam commendatitiis tabellis Clementiae TVAE, quam summam esse constat et incredibilem, se committat demississime. Quam quidem clementiam et mansuetudinem TVAM si mihi imper-

per-

pertieris, non potero non quotidie vota facere religiosissime, ut et IPSE, et CELSISSIMVS PRINCEPS HEREDITARIVS, et tota AVGVSTA Domus diutissime viuatis, et felicissime ac supra omnium exspectationem floreatis,

REGIAE TVAE CELSITVDINIS
PRINCIPIS AC DOMINI MEI
LONGE CLEMENTISSIMI

Dabam Londini
Kl. Octobr. CIϽ IϽ CC XXXIII.

demissisimus et subiectissimus
servus
Christianus Kortholtus.

LECTORI BENEVOLO
CHRISTIANVS KORTHOLTVS
S. P. D.

Quum LEIBNITIANI nominis late longeque diffuſus ſit ſplendor, vt quemadmodum Luna inter minora ſidera, ſic vir illuſtris LEIBNITIVS inter lumina Germaniae emineat; nemo vnus lectorum vitio mihi vertet, quod litteras a tanti auctoris ingenio profectas, et tanti ſcriptoris exaratas manu, nec dum diuulgatas primus foras nunc emittam. Theſaurum hunc litterarium collegit Parens meus honoratiſſimus SEBASTIANVS KORTHOLTVS, Eloqu. et Poetices in Academia Holſatica Profeſſor ordinarius. Eruditi viri, ad quos datae ſunt litterae, eo conſilio illas cum Parente meo officioſe communicarunt; vſui reipublicae eruditae vt inſeruirent. Is vero compluribus negotiis Academicis, et ſcripto-

rum quorumdam ſuorum elaboratione impeditus, ipſe ſibi ſumere non potuit editoris partes. Ieccirco alienum ingenio LEIBNITIANO conceptum partum mihi edendum dedit, Lipſiamque transmiſit, vt in eadem qua parens eius LEIBNITIVS patria adſpiceret lucem. Simulac chartas auro contra non caras accepi, ſtatim in ea curae cogitationesque meae euigilarunt, illarum publicationem vt accelerarem. Non autem omnes, quotquot poſſideo litteras LEIBNITIANAS, tibi vna offero, Lector beneuole. Primi voluminis copiam tantum tibi nunc facio, quod exhibet Epiſtolas de diuerſis materiis iisque vtilitate ſua ſe facile probaturis. Huiuscemodi varietas argumentorum non poterat alium auctorem habere, quam LEIBNITII ſimilem. Etenim praecipua, qua LEIBNITIVS eruditis ceteris praeſtat, dos ac praerogatiua extra controuerſiam eſt, quod Polyhiſtoris huius in vnaquaque peritiſſimi ſcientia tam late patuerit, vt ipſis eruditis ſit admirationi. Iis rarioribus doctis annumerandus eſt LEIBNITIVS, qui etiam, quum alucinantur, excellentiſſimae ſuae doctrinae dant documentum, vt de LEIBNITIO merito illud vſurpare poſſis, quod de IOSEPHO SCALIGERO comparis aetatis viri eruditi affirmarunt: Etiam quum errat docet. Etiam quum fallitur vtilia profert,

fert, quaeque discere iuuet. Alii litterati viri, qui in vna scientia tantum magnos progressus fecere, in ea indigenae, in reliquis hospites, eas alto contemnere supercilio, et ostensis albis dentibus irridere solent, quia de rebus sibi ignotis iudicant, et falcem in alienam messem immittunt. Contra ea LEIBNITIVS quum litterarum studia vniuersa mente comprehendisset, non modo de singulis iudicabat sapienter, et, nullo eorum spreto, cultores amabat certatim, et adminiculis consiliisque adiuuabat. Quum ars non habeat osorem nisi ignorantem, Polyhistor noster omnes ac singulos prouexit, et plus ad litterarum contulit incrementum, quam ab aliis quamuis ab omnibus artibus perpolitis exspectare possis, propterea quod illos gratia tam singulari Imperatores, Reges et Principes haud prosequuntur. Qui de arte recessus animorum varietatesque studiorum dignoscendi edisserunt auctores, non sine ratione fatentur, praeter ceteras Epistolas ad familiares characterem et indolem scriptoris sui omnium exactissime referre. LEIBNITII certe ingenium vastissimum, et multiplicem variamque eruditionem multiiuges epistolae produnt luculente. Quod vt quodammodo declarem, de litteris, quas modo publici iuris facio, summatim ea praemittam, quae ad

earum

earum lectionem beneuolum Lectorem procul dubio excitabunt.

Principe loco CXVIII epiſtolas LEIBNITII reperias ad virum ex doctrina nobilem et clariſſimum Abbatem Regiae Luterae IO. FABRICIVM ab anno CIƆIƆCXCVII ad annum CIƆIƆCCXVI. datas, quae tantum non omnes theologici ſunt argumenti, et de vnione, quam vocant, eccleſiaſtica inter Lutheranos et Reformatos, quin etiam inter Proteſtantes et Pontificios doctores, conciliandа verboſius agunt. Pleraſque omnes ex iuſſu Sereniſſimi Ducis Brunſuicenſis et Lüneburgenſis, ANTONII VLRICI, ſcriptas eſſe non vno loco ipſe auctor LEIBNITIVS teſtatur. Obſeruabis in hiſce litteris recenſiones de rebus maximi ponderis ac momenti, quae adhuc fuere incognitae; quia tamen ad illuminandam Hiſtoriam Eccleſiaſticam huius ſaeculi conferunt plurimum, publicari et legi vtique merentur. Conſilia in iisdem irenica exhibentur, quae LEIBNITIVS ſuperſtes cum nemine vno niſi cum intimis ſuis amicis communicauit, et quidem tantum ſub fide ſilentii. Id quod me obligat, vt reſpondeam quaerendo inueſtigaturis, quis mihi poteſtatem conceſſerit, vt illa arcana ante omnium oculos exponam. Cui quidem obiectio-

iectioni eo occurro lubentius, quod cognitum habeo, LEIBNITIVM aegerrime tulisse litteras Suas gallicas ad V. CL. PAVLLVM PELISSONIVM de unione Ecclesiastica datas typis exscriptas publice prostare. Vir doctissimus M. LOEFLERVS, ipsius LEIBNITII sororis filius atque heres vnicus, litteris ad me datis hoc mihi retulit. Ego vero nullo negotio ad quaestionem illam ipsius LEIBNITII verbis respondeo, quippe qui epistola LVII. 2. ad Abbatem IO. FABRICIVM: „Quum vero, inquit, „ nostrae meditationes, quae vobis duobus „ (IO. FABRICIO et IO. ANDR. „ SCHMIDIO) placuerunt, sub fide si- „ lentii communicatae fuerint Berolinensi- „ bus, et materiam negotiationis sint daturae, „ facile pro prudentia Tua iudicas, consultius „ fore, vt ne intempestiue edantur, dum spes „ est aliquid confici posse tractando. Nam si „ ea decollauerit, suaserim ipse quoque con- „ seruari typis publicis in vsum posteritatis: „ nunc vero si producimus in publicam lucem, „ primum perit cogitationibus pondus ac mo- „ mentum arcanae deliberationis, deinde irri- „ tabuntur crabrones ingeniorum Eristico- „ rum, vt agmina aduersariorum paullatim „ consurgant, et fortasse qui poterant paulla- „ tim acquiri nobis, dum ipsis communicatio- „ nis

„ nis priuatae honor habebitur, praeueniri se „ aliorum violentia patiuntur difficili regressu, „ vbi quis semel publice sententiae suae obsi- „ des libros dedit. „ Ex hisce verbis intelligitur, quare LEIBNITIVS, quum superstes esset, consilia sua irenica cum publico noluerit communicari. Atque ex iisdem constat, ipsum LEIBNITIVM voluisse ea aliquando diuulgari. De consiliis istis irenicis LEIBNITIANIS tenendum, ex instituto id egisse auctorem in epistolis ad IO. FABRICIVM datis, vt et viam pararet ad coniunctionem et concordiam Ecclesiasticam inter illos, qui Protestantes se vocant, et simul inter Protestantes et Pontificios doctores. Pacem Ecclesiasticam cum Pontificiis doctoribus vix sperari posse LEIBNITIVS iudicauit, et quamuis interdum mitius iudicarit de pontificiis erroribus, quam quidem par erat, persaepe tamen in his litteris tuitus est, peccatum esse minime excusandum, si quis de veritate religionis euangelicae conuictus eam cum pontificia permutet. De Reformatis doctoribus mitissime censet, et tantum non omnes eorum sententias in optimam partem interpretatur. Atque ex litteris hisce manifestum, eum nonnumquam de vnione siue de foedere religionis inter Protestantes faciendo optime vtique sperasse. Me quidem non

prae-

praeterit, praecipuae dignationis Theologos nostros LEIBNITIO nimiam erga Reformatos lenitatem vitio dudum vertisse. Neque mea ratio est omnia atque singula defendere, quae LEIBNITIVS de Reformatis eorumque positionibus statuit. Nemo tamen, opinor, secus interpretabitur, nonnulla me hoc loco proferre, quae ad excusandum LEIBNITIVM facere posse videbantur. Verum est, LEIBNITIVM consensionem ecclesiasticam Protestantium doctorum certo iudicio et summo studio desiderasse. Quis illud temere reprehendet? Summorum Ecclesiae nostrae Theologorum proferre testimonia possem, quibus se paratissimos ad haec foedera religionum sanguine suo redimenda profitentur, siquidem salua doctrina coelesti id vsu umquam venire queat. Sed ea hic recensere superuacaneum arbitror, propterea, quod omnes credunt, vnionem siue consociationem ecclesiasticam generatim considerataam omnibus vtique votis esse expetendam. LEIBNITIVS consulto et de industria id egit, vt vnionem ecclesiasticam inter Protestantes stabiliret. Id quod reprehensionem forte meretur, quoniam Reformati doctores in suis libris symbolicis eiusmodi de praedestinatione fouent sententiam, quae sine summo periculo doceri nequit. Ipse in annotationibus, epistolis, quas publico, addi-

 tis,

tis, defendi, doctrinam Reformatorum ita esse comparatam, nihilominus tamen credo quaedam ad excusandum LEIBNITIVM posse dici. Quae LEIBNITIVS eo consilio egit, vt vnionem ecclesiasticam inter Protestantes firmaret, huc redeunt: Cum Theologis celeberrimis, et quos huic religionum foederi studere cognitum habebat, sermones contulit et consilia, neque solum sub examen vocauit Reformatorum doctorum errores, sed et quodnam eorum sit momentum, et quid in pietatem influeret, ponderauit. Consilia haec sua priuata apud omnes scriptis peruulgare, et suum de re irenica iudicium explicate interponere noluit. Persuasit sibi paucis cognita facilius mutari atque corrigi, quam ea, quae omnium iudiciis exponuntur. Quis est, qui non laudet circumspectam hanc LEIBNITII prudentiam? Vel, quod maius est, LEIBNITIVS, postquam omnia momento suo ponderauit, hoc denique fecit iudicium, se multis annis consilia agitasse irenica, quibus felicem euentum praedicere non queat. Tuitus est, se ex omnibus huiusmodi destinatis hunc tantum fructum percipere, vt posteri intelligant, se sincero animo, omnique studio pacem quaesiuisse ecclesiasticam.

In Epistola XCII. CIↃ IↃ CC VIII. die XXX. Martii ad IO. FABRICIVM data: A

NEGO-

NEGOTIO, inquit, IRENICO, VT NVNC EST RERVM HABITVS, NIL AMPLIVS EXSPECTO. IPSA SE RES ALIQVANDO CONFICIET. Haud ſcio, an Theologi noſtri, dum de re irenica agunt, et ſummi alicuius viri conſenſione attentionem auditorum ſuorum excitare volunt, melius deſiderare teſtimonium queant, quam hoc LEIBNITII, quod eo magis notatu dignum eſt, quoniam auctor illius annis compluribus ſummo ſtudio conſilia irenica exquiſiuit. Praeter ea in Epiſtolis ad IO. FABRICIVM datis multae occurrunt vtiliſſimae obſeruationes de ſocietate litterarum Berolinenſi, de poetica IO. GVIL. PETERSENII, et de innumeris aliis rebus. Sigillatim multa ſcitu digna LEIBNITIVS tradit de notiſſimo illo Reſponſo, quod Helmſtadienſibus Theologis de licito a Lutherana religione ad Pontificiam tranſitu ab illis tribuitur, qui exiſtimant, Academiae Iuliae Theologos non parum contuliſſe, vt Sereniſſima Princeps Brunſuicenſis ELISABETHA CHRISTINA, nunc auguſtiſſima Imperatrix, ſacra euangelica cum pontificiis commutarit. Sed de his latius commentandi hic locus non eſt. Id autem tacitus praeterire non poſſum, me plures LEIBNITII ad eumdem FABRICIVM miſſas litteras poſſidere, quam nunc Tecum L. B. communico.

Neque enim e re esse duxi omnium earum Tibi facere copiam, quae magis spectant ad amicorum officia, quam ad publicum litteraturae incrementum.

Epistolis ad celeberrimum IO. FABRICIVM datis breue aliquod scriptum attexui, cuius index: *Vnpartheyisches Vrtheil von dem Nutzen, welchen die Euangelisch-Lutherischen aus der Kirchen Vereinigung mit denen Reformirten zu erwarten haben, in einem auf hohen Befehl abgefasten Rathschlag geäusert von Herrn GERHARDO MOLANO, Abten zu Loccum, auch Directore der Kirchen im Churfürstenthum Braunschweig-Lüneburg, vnd Herrn GOTTFRIED WILLHELM LEIBNITZ, Geheimen Rath zu Hanouer.* Id agunt in eo viri summi MOLANVS et LEIBNITIVS, vt exemplo infelicis successus Colloquii Cassellani anno CIↃ IↃ CLX. habiti declarent, non sine grauissimo incommodo pacem Ecclesiasticam inter Protestantes iniri posse. Non satis constat, vtrum in elaboratione huius commentationis maiores fuerint MOLANI, an LEIBNITII partes? Id certum est, quae hac scriptione traduntur cum principiis Lutheranis vtique conspirare et consentire. Quo anno consignata sit cognitum non habemus, sed fortassis post annum CIↃ IↃ CC VIII. elaborata est. Quodsi ad id tempus referas, cur LEIBNITIVS non benignius de vnione in-

ter

ter Proteſtantes Eccleſias iudicium pronuntiarit manifeſtum eſt. Conſtat enim, eum tum temporis conſilia ſua irenica miſſa feciſſe. Vir ſumme reuerendus ERDMANNVS NEVMEISTERVS primus hoc ſcriptum typis imprimi curauit, et libro, cuius index: *Kurtzer Beweiſs, daſs das ietzige Vereinigungs Weſen mit den ſo genannten Reformirten dem gantzen Catechiſmo ſchnurſtracks zuwieder lauffe. Hamburg* CIↃ IↃ CC XXI. *in 4.* appendicis loco adiunxit. Recudi curaui hoc iudicium, quoniam ad illuminanda ea facere videtur, quae LEIBNITIVS in epiſtolis ad IO. FABRICIVM datis de foedere religionum ex induſtria ediſſeruit.

Scriptum illud germanicum excipit epiſtola LEIBNITII, quae ad celeberrimum Doctorem HENR. ERN. KESTNERVM, Iuris in Acad. Rinthelenſi Profeſſorem, commeauit. In ea ſcriptor de emendanda Iurisprudentia ciuili ex inſtituto diſputat. Eamdem quidem vir conſultiſſ. D. IO. SAMVEL HERINGIVS, Gymnaſii Stetinenſis Profeſſor, programmati anno CIↃ IↃ CC XX. praelectionibus ſuis praemiſſo Stetini iam inſeruerat, hic tamen non duxi omittendam, quod huiuscemodi generis Diſſertationes Academicae in pauciſſimis locis ſunt obuiae.

Poſt vnam hanc iuridici argumenti epiſtolam decem medicas reperias ad Academiae

Kilonienſis Medicum illuſtri laude celebratum GVNTHERVM CHRISTOPHORVM SCHELHAMMERVM exaratas. Earum quatuor priores vir Experientiſſimus D. SCHEFFELIVS inter Epiſtolas a viris clariſſ. ad SHELHAMMERVM datas iam edidit; ſex autem poſteriores nunc demum lucem adſpiciunt publicam. Praecipue in hiſce Epiſtolis LEIBNITIVS nauat operam, vt SCHELHAMMERVM ad elaborationem Inſtitutionum Medicarum hortetur, quas etiam elucubrauit SCHELHAMMERVS et prelo paratas aſſeruat SHELHAMMERI gener, Profeſſor Acad. Roſtochienſis, BVRCHARDVS. De inſtitutionibus hiſce medicis, quas SHELHAMMERVS meditabatur, dum verba facit LEIBNITIVS, de variis rebus ad artem illam ſalutarem pertinentibus cogitata ſua ſignificat. Neque vero vnice res medicas perſequitur. De aqua fumante, de ſono, de thermometris et ſimilibus materiis hic explicationes inuenias, quas nemo leget ſine voluptate.

Philoſophici argumenti ſcripta duo e Mſc. nunc primum diuulgata in hoc volumine reperias. Altera eſt commentatio de anima brutorum, altera epiſtola, quam LEIBNITIVS ad maxime inclytum RVD. CHRIST. WAGNERVM, Mathematicum et Philoſophum Helmſtadienſem, dedit, vt ab eo oppu-

pugnante scriptionem suam defenderet. Praeter doctrinam de anima brutorum in hisce scriptis LEIBNITIVS de variis doctrinis commentatur, et, quae sibi singularia sunt, profert. De monadibus videlicet, de immortalitate animae, et corpusculis, quae spiritus et animae sibi habeant adiuncta conquisitis rationibus dedita opera disputat. De his quid sentiat, in principiis suis philosophicis Actis Eruditorum insertis, et ab excellentissimo D. MICH. GOTTLIEB HANSCHIO, Consiliario nunc Caesareo singulari scripto explanatis, dudum LEIBNITIVS late exposuit. Sed non dubito, quin ea, quae modo publicae luci expono, scripta multum conferant, vt LEIBNITIANA opinatio penitius intelligatur. Illos etiam procul dubio meliora docebunt, qui his LEIBNITII sententiis ne quidem nomen probabilis coniecturae relinquunt.

Ex litteris LEIBNITII nondum editis, quibus res ad Mathesin pertinentes illustrat, varias huic Collectioni inserui. In ea habentur I. duae epistolae ad illustrem virum OLAVM RÖMERVM, Regis Daniae Status Consiliarum. II. Totidem ad TIEDIVM, Mathematum in Acad. Kiloniensi cultorem. III. Quindecim ad doctorem fama et meritis suspiciendum D. SAMVELEM REYHERVM, Iuris et Mathematum in

Acad. Kilonienſi Profeſſorem. IV. Tres ad Doctorem nobiliſſimum IO. GEORGIVM LIEBKNECHTVM, Mathematum quondam Profeſſorem in Acad. Giſſenſi, nunc Profeſſ. Theologiae et Praeſulem ſummum, et V. totidem ad illuſtrem CHRISTIANVM GOLDBACHIVM, S. Caeſar. Maieſt. Ruſſicae a Conſiliis Iuſtitiae. Quae ad OLAVM RÖMERVM ſcriptae ſunt litterae, partim celebrant ipſius RÖMERI in rem mathematicam merita, partim controuerſias recenſent de emendatione Calendarii ſub initium huius ſaeculi agitatas. Quae quidem controuerſiae etiam occaſionem aperuere epiſtolis a LEIBNITIO ad TIEDIVM miſſis. In aliis ad REYHERVM de diuerſis diſputatur argumentis. REYHERVS enim Kilonii et Iurisprudentiam ciuilem et Matheſin publice profitebatur: Idem varias diſputationes defendebat, quibus vtramque ſibi concreditam prouinciam ornabat egregie. Quibus LEIBNITIANAE cenſurae oblatis, anſam dedit, vt LEIBNITIVS varias ad Iurisprudentiam ciuilem, et praecipue ad Matheſin pertinentes obſeruationes REYHERO impertiret. Pluribus eum litteris LEIBNITIVS appellauit, quam quidem hic exhibentur, vt ex REYHERI de Aerometria Commentario CIↃIↃCCXII recuſo diſcimus. Inibi commemorat, ſe cum LEIBNITIO

iam

iam ab anno CIƆIƆCLXXIX litterarium habuiſſe commercium, et cum eo de Thermometris diſceptaſſe. Sed illae litterae forſan aetatem non tulerunt, easque ab heredibus REYHERIANIS obtinere non potui. In aliis ad D. LIEBKNECHTVM datis de variis etiam rebus et phyſicis et mathematicis LEIBNITIVS verba facit, quibus LIEBKNECHTI Diſſertationes materiam ſuppeditauere. Quocirca in iis de fruſto ligni petrificati, de ligno S. crucis, de Phosphoro, de motu Planetario et de aliis argumentis LEIBNITIANAS obſeruationes reperias. In epiſtolis autem ad GOLDBACHIVM datis ſcriptor quaerendo inueſtigat, cur globus grauis in aere quodammodo rotetur? De muſicis quoque proportionibus cum GOLDBACHIO communicat obſeruationes ſuas, quae Muſicae Mathematicae cultoribus non poſſunt non eſſe gratiſſimae.

Venio nunc ad illas LEIBNITII epiſtolas, quae vel hiſtorici ſunt argumenti et philologici, vel etiam de rebus diuerſis ad rem litterariam pertinentibus agunt. In iis principem locum obtinent duae ad Doctorem omni exiſtimatione ornatiſſimum OTTONEM SPERLINGIVM, S. Reg. Maieſt. Daniae Conſiliarium, in quibus praecipue de Hiſtoricis monumentis Septentrionis hiſtoriam illuminantibus quid ſentiat auctor refert. Non

dubium est, quin plures ad eumdem litteras miserit LEIBNITIVS, sed illae fatalibus flammis Hafnienſibus fortaſſis abſumtae ſunt. Epiſtolas ad SPERLINGIVM datas ſequitur vna ad clariſſimum virum GVILIELMVM VVOTTONVM S. Theolog. Doctorem Cantabrigienſem, quam legimus excuſam in libro, cuius index: Linguarum veterum Septentrionalium Theſauri grammatico-critici et archaeologici, auctore GEORGIO HICKESIO Conſpectus breuis per GVIL. VVOTTONVM, Londini CIↃ IↃ CC VIII. in 8. Quum vero hic libellus in paucorum verſetur manibus, in hac etiam collectione extare volui inſigne documentum LEIBNITIANAE in diuerſis linguis et ſigillatim in veteri Teutoniſmo intelligentiae. Ad WOTTONVM datam epiſtolam excipiunt vndecim epiſtolae, quibus celeberrimum Polyhiſtorem D. IO. ALB. FABRICIVM, Profeſſorem Hamburgenſem, ingens Germaniae ornamentum, LEIBNITIVS compellauit. Quae in republica litteraria vſu veniebant, quum ſcriberentur, et quaedam FABRICIANA atque LEIBNITIANA de litterarum ſtudiis prouehendis conſilia materiam illis ſuppeditarunt. Quae quoniam generatim paucis verbis exprimi nequeunt, praeoptem ſummam harum litterarum ex ipſis diſci epiſtolis. Ab iis ſegregare nolui quatuor conſcriptas ad amicum

cum

um FABRICIO voluntate numquam non oniunctissimum, virum venerandum Io. HRISTOPHORVM WOLFIVM, Proessorem primum Vitembergensem, deinde lamburgensem, nunc Pastorem inibi primaum. Is praeter ceteros nominis consequuis est celebritatem, quod et veterum Philophorum systemata scriptis suis illuminauit gregie, et Bibliotheca edita Hebraica, omniis praeripuit palmam, qui de eodem argueneo commentati sunt. De rebus igitur ad inc materiam pertinentibus LEIBNITIAAE ad modo dictum WOLFIVM litterae rtractant.

Proximo a postremo loco comparent sex et ginta epistolae ad Parentem meum datae, icum ab ipso huius saeculi initio vsque ad itum anni sibi emortualis CIↃIↃCCXVI non eue et suffragatorium, sed firmum et perpeum litterarum habuit commercium. In ce litteris de docta LEIBNITII pueritia ribus locis tot exstant testimonia, quot ali reperias nusquam. Eiusdem de Philosoia morali PVFENDORFII, LOCKII, OBBESII, CARTESII, et SPIRII iudicia lectu dignissima sunt. De CLENTE II. de ROSWITHA, et de Encypaedia poetica non vulgaria communicat. De a contemtionis Germanorum apud Gallos ssa; de Mutinae Ducibus; de Academia

Bero-

Berolinensi; de vita demortuorum; de animis hominum et brutorum haudquaquam proletaria protulit. Notari etiam merent, quae de Russorum Caesare, PETRO Magno, litteris non vno loco mandauit. Sed et venusta Epigrammata ab ingenio Leibnitiano profecta nondum typis exscripta, passim autem in hisce litteris obvia ad memoriam insignia censeo. Elogia viro illustrissimo IO. GEORGIO HOLSTENIO, viris celeberrimis RÖMERO, GVDIO, SPANHEMIO, MEIBOMIO, SENNERTO et compluribus aliis tributa et impertita testimonia non sine voluptate legas. De propaganda repurgata religione nostra apud Malabares et Sinas; de amore DEI non mercenario; de vacuitate admirationis; de ἐπιχαιρεκακίᾳ et de vaticinio sapientum vtilitate sua Lectoribus se commendatura occurrunt. Inuenient quoque, quae alibi frustra quaesierint de antiquitatibus Ripensibus; de LIOPTACO Episcopo Rebuense; de libris nondum editis OTTONIS SPERLINGII; de NIGELLI poemate inuentu raro; de societate subscriptoria; de IO. CLAVBERGII scriptis; de ALOYSII NOVARINI axiomatibus; de abusione gladiorum in Academiis; et de libro de tribus impostoribus. Quae praeterea in medium profert de LEEVWENHOEKII obseruationibus, de Francorum originibus, de genio saeculi et de pluribus aliis argumen-

ıentis, ad aliquam iucunditatem et ad fructum gentium redundabunt.

Vltimo denique loco etiam offero litteras ɔnnullas Gallico sermone ab illustri LEIBITIO exaratas, ad nominis ingentis Polyistorem MATVRINVM VEYSSIERE A CROZE, Consiliarium Regis Borussiae : Bibliothecae Regiae Praefectum. Ipsi viro arissimo, ad quem scriptae sunt, has, ut alias, ıas modo diuulgo epistolas, Parens meus ac:ptas refert. Bene multa hic leges, quae et ıguis et antiquitatibus clarissimum praeferunt ımen. In primis de lingua Sinica, VVallica, .lbanica, Armenica, Coptica, Russica, haud ılgaria offendes. Singularia etiam passim ocırrunt de consensione Socinianorum cum Iuhametanis, de PLINIO, TACITO, SVEONIO, non sine laude nominantibus IEVM CHRISTVM, de SERVETO, [ARDVINO, IORDANO BRVNO, TOANDO, BERNARDO, KIRCHERO et rel. olebis autem addi a me non potuisse epistolas, ıas Antiquarius ille Berolinensis ad LEIBITIVM scripsit, et quarum exemplum nulm domi se habere, nec seruare solitum esse ırenti meo ipse per litteras indicium fecit.

Idem etiam de plerisque omnibus aliis litteris mmorum virorum ad LEIBNITIVM aratis dicere me oportet.

Ali-

Aliquas tamen epiſtolarum ven. Abbatis Io. FABRICII ad LEIBNITIVM ſcriptarum, proxeneta celeberrimo viro Io. ERH. KAPPIO, Fautore meo aeſtumatiſſimo, ad quem CL. IORDANI, amici, Berolinenſis doctiſſimi, beneficio vna cum nonnullis aliis Msc. peruenerant, impetraui, quae LEIBNITIANAS illuminant egregie. E quibus excerpta, celeb. KAPPII conceſſu, loco appendiculae huic collectioni attexui. Suo quidem loco illas inſeruiſſem litteris a LEIBNITIO ad Io. FABRICIVM datis, niſi, quum aliquot FABRICIANAS acciperem, LEIBNITIANAE ad FABRICIVM miſſae typis iam exſcriptae fuiſſent. In eadem appendice excerpta reperias ex epiſtola LEIBNITII, qua alloquutus eſt ſummum virum, Io. IACOBVM MASCOVIVM, Conſiliarium aulicum Electoris Saxoniae, variis muneribus et de Republica, et de Academia, et de Eccleſia Lipſienſi optime merentem, Patronum meum prae ceteris venerandum. Non omittenda haec ipſa propterea cenſui, quod in iis LEIBNITIVS amicos ſuos in Italia agentes data opera recenſet, qui eruditorum Italorum in aliis epiſtolis, huic Collectioni inſertis, non vno loco facit mentionem.

Recenſui ſummam epiſtolarum LEIBNITIANARVM, quae, quum ab admodum paucis diſceſſeris, e Msc. nunc primum a me eo proferuntur

ır consilio, vt compluribus materiis eruditis il-
ıminandis inseruire queant. Si forte earum
onnullae delicatissimo quorumdam Lectorum
stidio non facient satis, nec enim omnes sunt
ptimae frugis et eiusdem farinae; sibi ipsis, aut
iam illustri scriptori harum litterarum, non
item mihi editori id imputent, in memoriam
i reducendo locum praeter cetera valde com-
emorabilem ipsius LEIBNITII, in epistola
ıic etiam fasciculo inserta, virum doctissimum
VILIELMVM WOTTONVM poscentis scri-
iones illas, quas viuis ereptus vir clarissimus
OBERTVS BOYLIVS reliquerat. "Vnum,,
quit, petere audeo, vt, quando Tibi eius,,
BOYLII) schedae creditae sunt, excerpi,,
nittique cures, QVIDQVID VEL PAVLVM,,
EMORABILE VIDETVR. Et quantumuis,,
uola admisceantur collectaneis, non ideo sa-,,
e amittenda putem, quae tantus vir seruan-,,
putauit. Odi illorum seueritatem, qui mul-,,
nos praeclaris rebus priuant, dum nil nisi,,
aeclara dare volunt. Quam multa enim spe-,,
m, quam merentur, non habent, et saepe,,
entu compertum est, quae pro nugis reiicu-,,
habebantur, opinione praestantiora fuisse.,,
ıibus lectis consilii mei rationes quis audeat
probare?

Reliquum est, vt verbo indicem, quid ipse
ndo hasce litteras praestiterim. Primum eas,
ae de diuersis agunt argumentis certis §§ diui-
t separaui, nec non conspectum vnicuique
stolae praemisi, vt nullo negotio vno in con-
ctu omnia videas, quae in iisdem tractantur.
inde obseruationes meas, quae forte occurre-
bant

bant tabellas LEIBNITIANAS percurrenti, quaeque illas videbantur illustraturae annexui. Ob iter autem, cui me daturus sum, Anglicanum properare sum coactus, nec pertexui telam, quam texere coeperam. Nonnumquam tamen secundum principia LEIBNITII aliquot eiusdem positiones explanare studui et enodare. Interdum etiam in contrarias partes de sententiis eiusdem disputaui. Sed et non raro citaui scriptores, qui idem saxum ante vel post LEIBNITIVM voluerunt. Quas quidem obseruationes et explicationes meas vt aequi bonique consulatis, quemadmodum a VOBIS peto, BENEVOLI LECTORES: sic Doctori summe reuerendo et Magnifico SALOMONI DEYLINGIO, hospiti meo doctissimo IO. CHRISTOPH. ORTLOBIO, et Professori inclyto IO. ERHARDO KAPPIO grati animi fidelem memoriam oblata hac occasione publice declaro, quod e supellectile sua litteraria mihi mutuos dederint libros, percommodos ad hasce adnotationes, et ad alias commentationes meas elaborandas. Denique sub exitum huius voluminis adieci indicem rerum praecipuarum, quarum mentionem inferunt epistolae LEIBNITIANAE. Qui vt omnibus libris vtilitatem praebet, ita epistolis summorum virorum eumdem esse necessarium quis infitiatur? Vale L. B. ac viri Illustris LEIBNITII epistolas et numero plures et vtilitatis vbertate has ipsas superaturas, quarum alterum volumen mox prela exercebit, propediem opperire. Scribebam Lipsiae Kl. Iulii CIϽ IϽ CC XXXIII.

GODEFRIDI GVILIELMI LEIBNITII

EPISTOLAE

AD

DIVERSOS.

EPISTOLA I.

AD

IOANNEM FABRICIVM

S. Theol., dum viueret, Doctorem et Profeſſorem in Academia Helmſtadienſi, Sereniſſ. Ducis Brunſuicenſ. Conſiliarium Conſiſtorialem, Abbatem Regiae Luterae, Scholarum Inſpectorem generalem et Acad. Scientiarum Regiae Berolinenſis Socium.

I. *Vtilitas itinerum.* II. *Leibnitius Fabricii commodis conſulit.*

I. QVod me non tantum compellaſti humaniſſimis literis, ſed et dono miſiſti pariter Helmſtadienſes primitias ac nouiſſima quaedam Altorfina, adiecto etiam munere non chartaceo, numiſmate ſcilicet memoriali auctarum Academiae Noricae facultatum, gratias debeo ſingulares, et vellem officiis poſſe mereri. Vtilitatem itinerum, eruditi ſcopum ſuum prae oculis habentis exomni omnibus prodeſt, et Theologiae ſtudiorum intereſt. Nam reduces inueniunt quae colant, ituri quae agant; ſed et qui ſolo animo peregrinantur in partem veniunt voluptatis fru-

ctusque. Sub praelo nunc est Dn. BENTHEMII, Bardeuicensis Superintendentis, Ecclesiae status praesens in Belgio foederato, qui, quid in eo genere possit, iam impensa in res Anglorum sacras opera ostendit. (*) Huius scriptis adiungi poterit MABILLONII Italicum iter, atque Tua praeclara praecepta magis in rem conferentur. (**) Vnum doleo, neminem extare, qui de Gallia idem nuper praestiterit, in qua tamen materia est doctrina Ecclesiastica vberrima. Et nunc quidem magnae sunt lites de Quietismo, fere vt apud nos de Pietismo, et Archi-Episcopum Cameracensem quasi Semiquietistam impugnat Meldensis aliique. Recruduit etiam bellum inter Dominicanos et Iesuitas occasione Theologiae Moralis a P. NATALI ALEXANDRO editae. (***)

II. Caeterum vti Academiae Iuliae de Te recepto gratulor, ita nobis operam dandam censeo, vt Tibi, prout oportet, satisfaciat; et puto eum fuisse animum vocantium, vt Salarium ad 400 vsque Vallenses augeretur. Itaque iam tum apud nostros ea de re mentionem iniicere coepi, vt in congressu cum Cellensibus res porro vrgeatur, speroque omnia ita casura, vt ne Te accessus ad nos poeniteat. De Manuscripto Versionis Biblicae Saubertino credo ipsi Tibi occasionem datum iri loquendi cum Serenissimo Duce RVDOLPHO AVGVSTO. Sed praedico tamen te aegre impetraturum impressum pro eo codicem Augusteae versionis. Omnes enim qui supersunt studiose custodire iubet. Vale et faue. Dabam Guelfebyti 14 Augusti 1697.

(*) B.

(*) B. HENR. LVD. BENTHEMII Eccleſ. et Scholarum Anglicanarum ſtatus 1732. in 8 Lipſiae cum Praefat. ven. B. MENTZERI multo auctior prodiit.

(**) Ad IO. FABRICII *orationem inauguralem de vtilitate, quam Theologiae ſtudioſus ex itinere capere poteſt* Italico Altdorffii 1678. editam LEIBNITIVS reſpicit.

(***) Conf. B. IO. FR. BVDDEI et ven. IO. GEORGII WALCHII introductio in praecipuas religionis controuerſias Cap. III. §. IX. p. 264. ſq. et §. XIII. p. 292. ſqq. vbi harum litium ratio ſummatim exponitur.

EPISTOLA II.

I. *De originibus nationum Transſyluaniae a Franckenſteinio editis.* II. *Wagenſeilii de Cingaris ſententia.* III. *Differentia inter Detſchen et Mueſer.* IV. *Dictionariolum Germanicae Transſyluanorum plebeiorum linguae deſideratur.* V. *Elogium Franckenſteinii.*

I. MVltum Tibi debeo, tum quod praeclaras Tuas in Baierianum Compendium notas dono mittis, tum quod et origines nationum Tranſyluaniae a Dn. VALENTINO FRANCO à FRANCKENSTEIN, Viro, vt apparet, egregio, ſcriptas mecum communicas, quae poſſunt eos errore ſuo liberare, qui neſcio quas longinquas vel a CAROLO M. vel ab anterioribus etiam temporibus Saxonum Daciae origines fingunt. Sane CAROLVM eo vsque penetraſſe non apparet. Saxones quosdam in regiones Transrhenanas ab eo translatos, quos LVDOVICVS PIVS reſtituit, memorant ſcriptores, non tacituri colonias tam longinquas, quum et Saxones in exercitu CAROLI contra Hunnos non praetermittantur. Equidem Gothi et Gepidae et Longobardi et alii Germani populi in Pannonia ſedere, vt taceam veriſimile videri,

 iam

iam antea antiquos Dacos cognatos Getis (si STRABONI aliisque credimus) Gothicam fuisse seu Germanicam gentem. Sed quicquid illic fuit Germanum, id dudum abolitum esse putandum est gentium migrationibus, et assentiendum demonstranti auctori, Germanos hospites a Regibus Hungariae iam Christianis priuilegiis datis fuisse allectos, vrbesque affluxu mercatorum et opificum et quorundam etiam militarium virorum oppleuisse, vt in Prussia et Liuonia: eo tamen discrimine, quod in has regiones per vim irrupere, in Hungariam vero venere incitati. Optandum vt diplomata aliqua obtineri possint, quibus ista magis illustrentur, praeter id, quod dedit TOPPELTINVS in Orig. Transylu. (quem ad manus habeo) p. 16. seqq. Regis ANDREAE concessum Saxonicae nationi immunitatis priuilegium, in quo gaudeo Dn. FRANCVM correxisse errorem et substituisse vocati pro donati magno vtique discrimine. Illa enim vox nouos hospites esse declarat, haec quasi pristinos incolas repraesentat, honorisque ipsorum interest Saxonum, vt non quasi serui prius libertate donati, sed promissa libertatis ingenitae conseruatione vocati credantur. Nosse operae pretium foret, vtrum sigillum originali priuilegio Regis sit appensum vel additum Monogramma, tum et qui testes diplomati (vt solet) accesserint? Haec enim omnia praeterit TOPPELTINVS, quae si opera Viri praeclari poterimus impetrare, plurimum adiiciet beneficio suo. Itaque quando Tibi cum eo commercium est litterarium, rogare

gare audeo, vt vſus occaſione tam commoda obtineas nobis, quae augere notitias noſtras poſſint. Equidem diploma ANDREAE Regis non Saxones ſed Teutonicos nominat; et HERMANNVS ille, a quo Hermanſtat, Noribergenſis fuiſſe dicitur: et alioqui conſtat perſaepe ab Italis, Gallis aliisque exteris omnes omnino Germanos dici Saxones, poſtquam Francorum appellatio Gallis magis tribui coepit, et inſigne putae ab Hermanſtadienſibus ſerius haud dubie aſcitum videtur appellationi opinionique Germanos peculiariter ad Saxones referri debere, praeſertim ſi fauet dialectus, de qua accuratius inquiri par erit, an Weſtphalicae vel Saxonicae inferiori ſic ſatis conſentiat. Itaque ſpecimina quaedam haberi optem, vt a plebeiis hominibus pronunciantur, indicemque vocabulorum prouincialium, quae etſi Germanica, tamen omnibus Germanis nota non ſunt. Hinc enim melius iudicabimus de origine et dialecto. Sed et de coeteris Tranſyluaniae habitatoribus quaedam amplius ſciri optem. Scyculos ab Hungaris diſtinguit Dominus Auctor. Sed TOPPELTINVS ait, eiusdem eſſe originis cum caeteris Hungaris. Lingua rem optime definierit, vtrum nempe ſit ſincere Hungarica, an multum peregrini habeat admiſtum, que Sarmaticum vel Slauonicum, quod nunc pro eodem accipio, lingua Slauonica latiſſime umta, ſiue etiam ab alia Scythica gente? De Vallachis vel Blachis omnes conſentiunt linguam plurimum habere latini. Semper mihi uſpicio fuit, poſſe in aliquibus Daciae angu-

lis aliquas ſupereſſe reliquias linguae Cumanae. Nam Cumanos ſeculo XIII Rex Hungarorum recepit, habitationemque iis conceſſit; etſi poſtea, quum bellum Tartaricum ingrueret, pro maxima parte fuerint deleti. Cumania autem videtur ſeſe ab Hungaricis ditionibus ad pontum Euxinum porrexiſſe. Quum dicit Dn. Auctor in Wallachia et Moldauia linguam Ruthenicam cum latina, in Bulgaria vero et Myſia cum Illyrica eſſe confuſam, velim ego noſſe, quid hic ſignificet Illyrica? Vulgo ſic ipſam appellant Slauonicam, ſed aliud ab ipſo intelligi puto, quum alias a Ruthenica non ſatis diſtingueretur, quae et ipſa eſt Slauonici generis.

II. De Cingaris, quorum aliquae in Dacia habitationes, dignum itidem altius inquiri. Celeberrimus WAGENSEILIVS in nupera appendice Noribergenſium memorabilium Cingaros a Iudaeis vbique Germania pulſis ingenioſe ſatis deriuat, et linguam reuocat ad Hebraeam; ſed Dn. Auctor, qui dicit, eos vbique vna vti lingua fundamentali, etſi dialectis diuerſa, videtur plura et certiora ſuppeditare poſſe. TOPPELTINVS eos vult Graecorum fere religionem ſequi et aliquam baptiſmi nomine caerimoniam peragere, certe nil adfert, quod ſapiat Iudaiſmum.

III. Poſtremo mirum mihi videtur, quod TOPPELTINVS refert Saxones Tranſyluanos ſe ipſos quidem vocare Detſchen, caeteros vero Germanos Mueſer. (*) Ipſe TOPPELTINVS vult Detſchen eſſe a Dacis Mueſer a Monſieur Gallico,

Gallico, ſed fortaſſe Detſchen nil aliud quam Deutſchen, quid vero Mueſer? Nam Gallicum Monſieur longiſſime relegandum puto.

IV. Quum idem TOPPELTINVS dicat: Germanicam linguam male intelligimus, intelligi" etiam ab ipſis vix poſſumus, " addatque, ſe multa vocabula Gallica, Italica, Hiſpanica, Anglica, Turcica et Tartarica, in ſuorum ſermone notaſſe: optandum foret, Dictionariolum Germanicae Tranſyluanorum Plebeiorum linguae haberi, precesque aut alia ſpecimina adiungi, non ad noſtrum ſermonem accommodata, ſed genuina.

V. Haec ſunt, Vir Maxime Reuerende, quae ſuper hoc argumento ad Te perſcribenda putaui, Tibique arbitrandum relinquo, an ad egregium diſſertationis auctorem, Virum vt apparet, non minus doctrina quam dignitate praeſtantem, deſiderata mea peruenire dignum aut commodum putes. Interea gratias ago pro munere vtroque et tui et alieni operis decenles, et referre poſſe velim. Vale. Dabam Hannouerae 14. Sept. 1697.

P. S. Quum in priuilegio Regis ANDREAE mentio fiat Blachorum et Biſſenorum, et de Blachis quid ſint conſtet, quaeritur, cuius nationis ſint Biſſeni, quorum ſylua a Rege Teutonicis confertur?

*) Forſitan *Mueſer* non fuit nomen gentis Germanicae, ſed opprobrium, quo Transſyluani aliorum Germanorum famam eleuare ſtuduerunt. *Mueſer* in lingua Saxoniae inferioris etiamnunc furem denotat atque latronem, Quae quidem lingua quum multa antiqua vocabula nobis ſeruauerit, probabile vtique eſt, eandem vocis *Mueſer* antiquis

antiquis temporibus fuisse notionem, quae etiamnunc in Saxonia inferiori obtinet. Mitto nunc vocem Germanicam *Calmeuser*, qua Saxones hominem vmbraticum lacessunt.

EPISTOLA III.

De Huetii et Boniour de Chronologia sacra iudicio.

ET Tu et amicus Transyluanus beneficium in Rempublicam litterariam conferetis notitiis pluribus impetratis. Pro communicatis R. P. BONIOVR Augustiniani promissis gratias ago. Eadem iisdem pene verbis ad me misit Dn. Abbas NICASIVS, sed non ideo minus Tibi sum adstrictus. Doceas nos, si placet, qua haec via ad Te sint delata? Significauit etiam Illustrem Virum Pet. Dan. HVETIVM Episcopum Abrincensem his promissis non valde moueri. Quum ipsi videatur vel solas antiquitates Aegyptiacas tantae esse difficultatis, vt eruditissimum quemque deterrere possint. Quum praeter exquisitam lectionem veterum, etiam linguarum Orientalium atque Arabicae praesertim, ipso iudice, intelligentia non vulgaris desideretur. Iucundum interea fuit, R. Patrem BONIOVR, iuuenem licet, decidendi de rebus difficillimis sibi sumere autoritatem: Apres auoir decidé sur la chronologie de toute l'Ecriture sainte, en general et en particulier. SCALIGERVM aliquem loqui putes, aut VSSERIVM. Non dubito tamen quin aliquid egregium sit praestiturus, praesertim maturiore aetate iudicioque, et ignoscenda sunt iuuenibus haec audacius iactata. Plerumque enim, qui

ea

ꝛa aetate moderati sunt, longius prouecti torpescunt. Quod superest Vale, faueque. Dabam Hannouerae 5. Octobr. 1697.

EPISTOLA IV.

I. *Leibnitius se ad Sinenses litteras daturum refert.* II. *Cum Fabricio partem scripti doctoris Reformati communicat.*

I. GAudeo inter vos recte conuenisse, nec fuisse opus aliunde decisionem dubitationum peti. Si quid Medici, Astronomique Vestrates, submittent, quod ex Sinensibus quaeri velint, rogo, vt mature ad me cures. Intelligemus fortasse eadem occasione, an Mercurius re vera comparuerit in sole, an vero, vt saepe fit, fefellerint tabulae?

II. Hoc ipso tabulario mitto partem dissertationis Theologicae, ab erudito inter Reformatos viro huc missae. Reliqua mox sequetur pars. Desideratur vt cum Dno D. SCHMIDIO Collega Tuo de monitis, quam maturrime licet, cogites. De coetero et aliis non erit communicandum, neque vlla ratione certas ob caussas vlterius emanare debere e re iudicatur. Vale et festos dies proximos laetus age, et mox in anno nouo longam aliorum seriem feliciter auspicare. Dabam Hannouerae d. 21. Dec. 1697.

EPISTOLA V.

I. *Alteram partem scripti Reformati doctoris mittit.* II. *Iussu Sereniss. Ducis Responsum Ord. Theol. desiderat.* III. *Io. Lud. Fabricius laudatur.*

I. MItto ecce Tibi reliqua scripti Reformati, et vt cum Dn. D. SCHMIDIO Collega,

lega Tuo, addita multa a me salute, communices rogo, vti ille priora Tecum communicauit. Desideratur, vt velitis cogitatorum et monitorum vestrorum, ea, quam iam exposui, ratione, mihi copiam facere. Neque id ego a vobis peterem meo nomine, sed, vt facile iudicabitis, ab altiore causa est, quod postulo, ac silentium praeterea commendare sum iussus. Facietis pro doctrina, prudentia et aequitate vestra, vt digna reponi suppeditentur.

II. In altero etiam negotio, quod diuersae sane naturae est, et alio consilio desideratur, alioque loco, spero, Serenissimi Ducis monitu factum iri, vt aliquid magis ad propositum concinnetur, quam quod prius fuerat designatum. (†)

III. Io. Lvd. Fabricivm olim Heidelbergae noui. Vir erat doctrina et iudicio valens et Electori suo carus. Vidi eius scriptum de persona Christi, tum et Euclidis Catholici titulo, sub Iani Alexandri Ferrarii nomine, elegantem in Pontificios lusum. (††) Si quid Noriberga, aut aliunde noui in re litteraria afferetur, id rogo ad me peruenire patiaris. Serenissimus Princeps Christianvs Dux Brunsuicensis mihi inde ex Transyluania, Dn. Franci libellum in duodecima forma misit, nomen abest, insignia vero familiae aere expressa adsunt; sed rem iam Tuo beneficio habebamus. Vale. Dabam Hanou. 10. Ian. 1698.

(†) Forsan h. l. Leibnitivs Theologorum Helmstad. iudicium de controuersiis, quae inter Lutheranos et Pontificios doctores intercedunt, desiderat. conf. epistola VIII.

(††)

(††) Quaenam huius scripti sit ratio, IO. FABRICIVS P. IV. Historiae Bibliothecae suae p. 523. tradit. IANVS, inquit, ALEXANDER FERRARIVS *genere scriptionis vtitur singulari, et de quo dubium ad mimesinne an sarcasmum vel mycterismum referri debeat? Simulat enim, quasi cum promachis Papatus in constituenda et protegenda hierarchia faceret, atque ita iis illudit.*

EPISTOLA VI.

De Responso Ord. Theologici Helmstad.

MIssu Tuo accepi scriptum Vestrum doctum, solidum, moderatum, quod ad communem scopum ita vti conabimur, vt, quoad eius fieri potest, noui motus vitenur, et suaui ratione animi praeparentur. Quae etiam causa fuit, cur haec potius placuerit via, quam vt ad facultatem ipsam scriberetur. Dedi operam in charta ad Serenissimum Ducem missa, vt explicarem mentem ipsius Serenissimi Domini pariter ac scopum, ad quem collineandum puto, tum ne difficultatibus ciuilibus implicemur, tum etiam vt nihil omittamus, quod in nostra sit potestate, tum etiam vt iam bene actis vtamur, nec tamen vel nobis vel nostris praeiudicium creemus. Vale. Dabam Hanou. 1. Febr. 1698.

EPISTOLA VII.

Nouum Responsum desideratur.

SErenissimus Dux ANTONIVS VLRICVS Tibi significari clementissime iussit, a se expeti, vt quae ad desiderata ipsius concepta sunt, secundum mentem scripti vestri prioris (nouis considerationibus circa noua desideria vobis-

vobiscum duobus hic praesentibus iam suppletam) latino sermone vestita quam primum in ordinem redigantur, et ad expeditionem promoueantur. Quod vt fiat melius promtiusque, commodissimum iudicat, vti statim vbi domum redieris, cum Dn. Collegis communices, absolutumque ex vestra sententia per nuntium proprium, si cursus publici dies non faueat, ipsi Guelfebytum transmitti cures, vt cum praesente adhuc in aula Domino Abbate CALIXTO, vltima imponi manus, et ab hoc reuerso Helmstadium, sub sigillo facultatis, ex Decanatus officio perfectum tandem authenticum ad serenitatem suam transmitti possit. Vale. Dabam Brunsuigae 15. Febr. 1698.

EPISTOLA VIII.

I. *Consilia Irenica.* II. *De supremo spirituali magistratu.* III. *De elaborando Responso consilium.*

I. NEscio an Tibi reddita fuerit epistola mea quam Peina scripsi in itinere, et ad Serenissimum Ducem ANTONIVM VLRICVM misi, in qua proposueram, vt temporis lucrandi, et difficultatum cum Domino Abbate CALIXTO euitandarum gratia, cum Dominis Collegis latine conciperetur responsum et mitteretur promtissime ad Serenissimum Ducem per proprium nuntium, dum adhuc Guelfebyti esset Dn. CALIXTVS, vt Serenissimus Dux ibi cum ipso componeret vltimam manum, et is deinde ad vos reuersus expediret ex officio Decanatus. Nescio an adhuc tempus sit, tale quid agendi, si fieri posset, futura esset res Serenis-

mo Duci gratiſſima. Tuas accepi interim cum
utographo meo Germanico, quod gaudeo et-
m Domino SCHMIDIO non diſplicuiſſe. Eius
idem accepi litteras, ſed hac vice, immi-
ente curſoris diſceſſu, reſpondere ei non poſ-
m, faciam proximis. Veſtris Dominus Ab-
as MOLANVS vtetur, vti ſane merentur.
rata ei fuit Lipſienſis collationis relatio. Ha-
et ille IO. LVD. FABRICII, Theologi,
ondam Palatini Electoralis, Dialogos quorum
us de perſona Chriſti agit, vbi omnia ex GER-
ARDI fere ſententia explicat, negatque ſuos
ea abire. (*)

II. In Peinenſi Epiſtola ad Te venerat mihi in
entem ſuggerere, vt maioris charitatis cauſa
ia fere adiicerentur circa ius Romani Pon-
icis: Quum Deus ſit Deus ordinis, et corpus
ius Eccleſiae Catholicae et Apoſtolicae vno
gimine Hierarchiaque vniuerſali continen-
m iuris diuini ſit, conſequens eſt, vt eiusdem
iuris ſupremus in eo Spiritualis Magiſtratus
minis ſe iuſtis continens (haec verba nunc
do) directoria poteſtate, omniaque neceſſa-
ad explendum munus pro ſalute Eccleſiae
endi facultate inſtructus, tametſi locus ac ſe-
s huius poteſtatis in Metropoli Chriſtiani or-
Roma ex humanis conſiderationibus pla-
erit etc. (**) Horum rogo vt data occa-
ne rationem haberi cures; nam Sereniſſi-
s Dux inprimis de ſupremo Spirituali Ma-
ratu (†) mentionem faciendam vrgebat, et
rito quidem. Eſt enim in omni republi-
, adeoque et in Eccleſia Chriſtiana ipſo
iure

iure proditum, vt ſupremus habeatur Magiſtratus, ſiue is in vna conſiſtat perſona, ſiue in pluribus. Quod ſi tamen e pluribus collegium conſtet, naturale eſt in vno ius eſſe directoris, ſeu ſupremi Magiſtratus, ſuis licet limitibus coerciti. (**)

III. Si abſente, Domino Abbate CALIXTO omnia poſſent latine a Te praeformari rem, vt dixi, Sereniſſimo Duci gratiſſimam faceres. Quodſi ante reditum eius (niſi aliter iam a Sereniſſimo Duce mandatum) caeteris praeponere, vel non velitis, vel commode non poſſitis, ſaltem temporis lucrandi cauſa id a Te factum non poterit improbari: praeſertim ſi oſtendas Te maluiſſe latinum ex mea praedelineatione germanica ad Sereniſſimi Ducis mentem conſcripta formare, quam verba mea deſcribere, quae vtique non erant ſeruanda. Et addere poſſes, germanica mea Te remiſiſſe, ſeruatis latinis, vt a Te fuerint concepta potius ad mentem Sereniſſimi Ducis, quam ad verba germanicae delineationis, quanquam (hoc inter nos dixerim) fortaſſe praeſtet ipſis, qua licet, inſiſti; ſaluo tamen iure Tuo addendi, minuendi, emendandi, cui libenter acquieſcemus, quia ſcimus Tibi ſcopum ipſum eſſe cordi. Quod ſupereſt Vale faueque. Dabam Hannouerae 22. Febr. 1698.

(*) IO. LVD. FABRICII *meditatio de controuerſia circa perſonam* CHRISTI *inter Euangelicos* in operibus eius Tiguri 1698. editis ſexto atque decimo loco extat. B. GERHARDVS WOLTHERVS MOLANVS, Abbas Loccumenſis, in diſputatione inaugurali ſub D. HENICHII Praeſidio habita

habita testatur; *meditationem illam talem esse, vt enunciare vix possit, quantopere sibi probetur, seque confidere, eam plerisque probatum iri, qui rem ανευ παθων ponderare potius, quam suspicionibus nequicquam indulgere praeoptent.* conf. IO. FABRICII Historia Bibliothecae suae P. IV. p. 523.

**) LEIBNITIVS in libro de *Iure suprematus ac legationis Principum Germaniae*, quem sub CAESARINI FVRSTENERII nomine edidit, et in Praefat. *Codici Iuris gentium diplomatico* praefixa, ex instituto propugnat inter omnes Christianos status iure humano Pontificem Romanum summum esse controuersiarum de Clericis motarum iudicem, et Imperatore neminem in rebus politicis maiorem, qui etiam possit a recta via aberrantem Pontificem reprehendere. A qua quidem sententia, quod ad Pontificem attinet, PHILIPPVS MELANCHTHON non admodum alienus est. Articulis enim Smalcaldicis p. 338. sequentem addidit obseruationem: *Ego* PHILIPPVS MELANCHTHON *supra positos articulos approbo, vt pios et Christianos. De Pontifice statuo, si Euangelium admitteret, posse ei, propter pacem et communem tranquillitatem Christianorum, qui iam sub ipso sunt, et imposterum sub ipso erunt, superioritatem in Episcopos, quam alioqui habet iure humano, etiam a nobis permitti.* Idem in epistola Prid. Non. Sept. 1530. ad IOACH. CAMERARIVM scripta: *Quo iure enim,* inquit, *licebit nobis dissoluere πολιτείαν Ecclesiasticam, si Episcopi nobis concedant illa, quae aequum est eos concedere. Et vt liceat certe non expedit. Semper ita sensit ipse* LVTHERVS, *quem nulla de caussa quidam, vt video, amant, nisi quia beneficio eius sentiunt, se Episcopos excussisse* (qui igitur LVTHERVS idem quod MELANCHTHON de Hierarchia Ecclesiastica sentit?) *et adeptos libertatem minime vtilem ad posteritatem. Qualis enim, cedo, futurus est status ad posteros in Ecclesiis, si omnes veteres mores sint aboliti, si nulli certi sint praesides?* At enimuero ipse PHILIPPVS MELANCHTHON deinceps agnouit, se minus recte rationes subduxisse. In epistola die 2. Nou. 1540. ad eundem CAMERARIVM data: *Et optaremus,*

inquit, *Episcopos tueri ἀξίωμα ἀρχιερατικὸν sine tyrannide, sed quum venit mihi in mentem saeuitiae, quam tot iam annos exercent, profecto ita sentio, nos mollius agere caussam nostram quam oportuit. Deinde de hoc ipso congressu quid spei est? Edita est in his diebus proscriptio aduersus Goslariam, qua palam rursum bellum nobis indicitur. Et huc aduecti sunt arbitri dogmatum, sycophantae omnium impudentissimi:* ECCIVS, COCHLAEVS, NAVSEA, MENSINGERVS *et quidam similes. Hi dicent sententiam de ceruicibus, qui non intelligunt caussam et odio ardent, et habent mentes ac manus respersas sanguine piorum.*

Plura LEIBNITIVS hac ipsa epistola cedit pontificiis doctoribus quam in scriptis, quorum modo feci mentionem. Tuetur enim ipsum regimen monarchicum in Ecclesiam vniuersam *iuris* esse *diuini;* licet Romanae sedis praerogatiuae *humani* sint *iuris.* Conf. Epistola XI. et XII. Non videtur vir summus *iuris diuini* nomine hoc loco intelligere, quod singulari mandato est in Scriptura Sacra praescriptum, sed potius quod e re est ciuitatis DEI. Quum enim DEVS omnia ea velit, quae ad salutem ciuitatis suae faciunt; consequens est, quod generali sensu et illa iuris diuini dici queant, quae, si designantur, commodum eius prouehunt. Quocunque autem sensu vocem *iuris diuini* h. l. accipias, probabile non est; iure diuino aliquem summum in Ecclesia Episcopum esse oportere. Si ius diuinum ea denotat, quae in Scriptura sacra praecepta sunt; sane nullum de hac summa directoria potestate verbum in illa legitur. Contrarium potius Luc. XXII. v. 24. seqq. et multis aliis in locis reperias. Si ius diuinum, quod e re ecclesiae est, significat; neque hoc significatu dici potest, iure diuino aliquem esse oportere totius Ecclesiae Iudicem. Rectissime vtique defenditur: DEVM esse DEVM ordinis, vtilitatem hominum, ciuitatis DEI salutem requirere; vt omnia ordine eueniant; iuris diuini igitur esse, vt et clerici et laici magistratui subsint. At vero magistratus personam et clerici et laici gerere possunt. Determinatum igitur nondum est; vtrum magis e re sit magistratui ciuili competere directionem sacrorum externorum; an vero magis conducat, penes Clericos esse summum in Ecclesia regimen? Fac. praestare a Clericis diiudicari

dicari controuersias omnes ecclesiasticas. Nonne iterum noua oritur quaestio, vtrum ciuitati DEI salutarius sit in diuersis prouinciis a se non dependentes habere Episcopos, an vero magis conducat vni eidemque Episcopo summam omnium sacrorum curam committere? Sane ex rei veritate dici videtur in libro de potestate Papae articulis Smalcald. addito p. 343. *Superioritas illa est impossibilis. Nam impossibile est, vnum Episcopum esse* (addo: salua cum conscientia) *inspectorem Ecclesiarum totius orbis terrarum.* Quis enim tot negotiis diiudicandis solus et vnus sufficiet?

) Per spiritualem magistratum LEIBNITIVS procul dubio h. l. sacrorum externorum intelligit directionem. Alias per *potestatem spiritualem mandatum docendi Euangelii, annuntiandi remissionem peccatorum, administrandi sacramenta, excommunicandi impios sine vi corporali* denotari solet. Vid. Tractat. de potestate et primatu Papae articulis Smalcaldicis additus p. 346.

EPISTOLA IX.

De elaborando Responso theolog. consilium.

Ereniſſimus Dux ANTONIVS VLRICVS misit mihi Tuas ad ipsum cum exemplo la-o pariter et germanico delineationis vestri ponsi. Latinum ipsi hodie remitto, quod ro cum ipsius approbatione ad Te redibit. manicum recta remitto ad Te, ne ne-se sit, vt id Domino CALIXTO tradat cum ino. Ex Serenitatis suae gratiosissimis lit-is non satis licuit intelligere, an Dominus LIXTVS viderit latinam delineationem, et od ei videatur. Itaque maturrime remitte, non vidit, Serenissimo monstrante, fortasse uc videat. Nec dubito Serenissimum qua po-uraturum, vt finis negotio imponatur. Venia

 Tua

Tua quaedam parui licet momenti notata claritatis causa consignata Tibi vni mitto, si videbitur, rationem eorum habeas. Et sane non est cur praedelineationi germanicae nimis ad stringaris; praeclare interim omnia expressisti. Nuperas meas acceperis, in quibus dubitabam, an res mature esset curata, nunc vero ademta est mihi haec dubitatio. Deum precor, vt omnia in nominis sui gloriam, Ecclesiaeque Christianae bonum succedant. Nobis optimae voluntatis commendatio suffecerit. Quod superest Vale et faue. Dabam Hannou. 15. Febr. 1698.

EPISTOLA X.

De distinctione inter ius diuinum auctoritatis directoriae in Ecclesia et applicationem eius ad sedem Romanam.

QVum tempore destituar otioque ad describendum, quae tanquam ad Te in chartam conieci, vna cum delineatione literarum ad Serenissimum Ducem, ideo rogo, vt meam hanc plagulam mihi remittas, quemadmodum Tuam ipse recipis, delineationem scilicet responsi Facultatis, et tuas litteras apostillatas, vt vocant, manu Dominorum Collegarum de caetero me ad ampliora mea hic adiecta refero. Si non vult Dominus CALIXTVS consentire formulae de iure diuino adiectae, rationes reddendae erunt Serenissimo Duci. Distinguitur merito inter ius diuinum autoritatis directoriae in Ecclesia, et applicationem eius ad Romanam sedem. Ita ius sedis Roma-

nae

Iae manet humanum. Prorſus quemadmodum
i maior propoſitio ſit iuris naturalis, minor
oſitiui, concluſio etiam fit iuris poſitiui, quia
equitur partem debiliorem. Quod ſupereſt
ale et faue. Dabam Hannouerae 31. Martii
698.

EPISTOLA XI.

Reſponſum deſideratur additionale. II. *Molani et Leibnitii de Romanae ſedis praerogatiua ſententia.* III. *De commodis Acad. Helmſtad. promouendis conſilia.*

SIgnificare volui Sereniſſimum Ducem Reſponſum veſtrum mecum communicasſe. Quoniam ergo expeditum eſt, puto poſſe ſtare, ſed aliud iam poſſe Reſponſum dari Additionale, vt vocant, cui deſiderata inſerantur. Eamque in rem Sereniſſimo Duci ſcripſi. Quod ſi res haec ad vos defertur, non dubito, quin pro tua moderatione et prudentia ſis effecturus, vt res ſuccedat, et vt inprimis Dominus WIDEBVRGIVS vobis accedat.

II. Dominus Abbas MOLANVS, quantum ex colloquiis intellexi, mecum ſentit; agnoſco et ego Romanae ſedis praerogatiuas humani esſe iuris; etſi ipſum directorium in Eccleſia,quod ipſi ob humanas rationes delatum eſt, iuris ſit diuini.

III. Ita eſt vt ſcribis, nimia eſt copia eorum, qui dant literis operam, ſelectu opus potius foret. Caeterum de rationibus mutandi conuictus in ſtipendia velim eſſe informatior. Cer-

te praestaret beneficia conferri in minus egentes, modo conferantur in magis dignos, dummodo ne homines aulici aliquando ne hoc quidem curent. Ante omnia vrgendum censeo, vt a Serenissima domo lege lata iubeantur illi, qui studiorum suorum in his regionibus rationem haberi volent, Helmstadium adire, ibique certo tempore modoque litteris operam dare. Velim ergo a vobis rationes in hanc rem suppeditari, quibus vt pondus habeant, si quid pro tenuitate mea conferre potero, faciam lubens. Vale. Dabam Hannou. 8. Apr. 1698.

EPISTOLA XII.

I. *De Responso additionali consilium.* II. *Molani de Pontifice sententia.* III. *De commodis Acad. Iuliae prouehendis.*

I. HOc ipso momento hinc discessurus Guelphebytum, has ad Te do litteras. Putaui additionalis Responsi interuentu melius consuli dignitati facultatis. Id enim, quod iam dedit, si benigne interpretemur, sustineri potest. Neque vlla erit contradictio, quum non negata fuerit, illa, de qua quaeritur, potestas, sed iudicium tantum dilatum. Praeterea si potestatem Pontificis qua Romani, seu sedem Romae fixam respiciamus, non reuocatur declinatio. Omnia igitur optime conspirant, et poterit responsum additionale, esse articuli secreti loco non statim producendi; sed tum demum, vbi altera pars videbitur sic satis optimae

nae noſtrorum voluntati reſpondere, quae cau-
ſa etiam fuit, vt poſterioribus cogitationibus
hanc ſeparationem prioris reſponſi reformatio-
ni praeferendam putarem: Quid Sereniſſimus
Dux cum Domino CAL[illegible]TO de hac re egerit,
mox intelligam, vbi Guelfebytum appu-
ero.

II. Significaui Domino SCHMIDIO Domi-
num Abbatem MOLANVM mihi ſcripſiſſe, di-
ſtinctionem illam iuris diuini, de qua agitur,
ibi vehementer probari. Idque fortaſſe a Do-
mino D. SCHMIDIO iam intellexeris. Nunc
viciſſim, vt ei meum iter cum officioſa a me
ſalute, indices, peto.

III. Viſitatio his temporibus haberet diffi-
cultates, putem tamen nihilominus commodo
academiae conſuli poſſe. Et operae foret pre-
tium omnia diduci diſtinctius, quo melius con-
ſultari in aulis poſſit. Omnino tollenda eſt il-
la inter conuictus diſtinctio et iubendum, vt
earum regionum ciues apud vos aliquamdiu
ſtudiis dent operam. Vale et felicia feſta age.
Dab. Hannou. 19. Apr. 1698.

EPISTOLA XIII.

Princeps Antonius Vlricus cum Doctore Schmidio de vnionis negotio ſua conſociare vult conſilia.

VIſum eſt Sereniſſimo Duci ANTONIO VL-
RICO aliquem veſtrum accerſere. Et
placuit tandem, ne in Te ſolum omnis
deriuetur inuidia, quum nuper onus ſuſtinue-

 ris,

ris, nunc venire Dominum D. SCHMIDIVM, praesertim cum praetextus rerum mathematicarum in ipso adsit. Interim ad Te mittitur eques, qui has ad Te deferet. Tu quaeso inclusas Domino D. SCHMIDIO tradi curabis, atque etiam cum ipso de re tota, quam nosti, deliberabis, si placet. Ita spero confectum iri omnia. Vale interim et faue, nam haec festinus scribo. Dabam Guelphebyti 22. April. 1698.

P. S. Si Tute simul venire velles, foret Serenissimo Duci gratissimum, sed, vt dixi, veriti fuimus, ne nunc iterum venire grauarere.

EPISTOLA XIV.

I. *Tegenda de vnione consilia.* II. *A. H. Franckii consilia approbantur.* III. *Sturmii cum Leibnitio controuersia.* IV. *De Weigelio iudicium.*

I. PRaeter opinionem accidit, vt adhuc haererem hoc loco, ita factum est, vt Serenissimus Dux hoc mane iam discessuro mittat Tuas, et ad se venire adhuc iubeat. Gaudeo rem pro confecta habendam. Cum Serenissimo mox loquar; et quia literas Tuas mecum communicauit, dicam, quae ad rem videbuntur et ad mentem Tuam. Interea apud Dominum CALVOERIVM et alios parcius ista viris tamen exponenda memento. Quidam enim simulant assensum, vt aliquid expiscentur. Quanquam de ipso Domino CALVOERIO (†) nil tale suspicer. Vereor enim ne rumore nascente de talibus habeamus nouas lites,

et

t pro pace bella. Sed ea Tua eſt prudentia et ircumſpectio, vt haec ſuperflua iudicem mo- ita; quanquam ſuperflua non nocent. Iter elix et fauſtum precor.

II. Dominum FRANCVM quaeſo in tranſitu me ſaluta, et dic ſperare me conſilia Eius mi- i probatiſſima bene proceſſura porro; et deſi- erare, vt per Dominum LVDOLPHVM iunio- em cum Moſcouitis iam redituris fructuo- um aliquid efficere curet, quo ſcholae ad ipſius iorem apud Ruſſos aperiantur; quod poſſet ſſe initium procurando noſtris aditus vsque d Sinas. A Sereniſſimo Duce iam redeo, is alde laudat operam Tuam, iterque fauſtum recatur. Bene diſtinguit inter ſingularia do- mata, quae Pietiſtis, quos vocant, imputantur, t inter laudabiles conatus, qui ſemper ſunt iu- andi. Ego Te ſaluum redire quamprimum pto precorque. Rogo etiam, ſi paulo diutius oſis, nos ignaros Tui eſſe non patiaris.

Dominus STVRMIVS Altorfii Profeſſor dis- utatiunculam mecum habet. Ego puto omni ibſtantiae vim actricem ſeu niſum ineſſe, etſi on niſi ſecundum leges mechanicas exercea- ir. Ille MALEBRANCHIVM et quoſdam ARTESIANOS (††) ſequutus, vult Deum olum agere. Reſpondi ipſi ante menſes ali- uot, et filius Profeſſor Guelphebytanus ſche- am meam miſit. Spero nunc mea paulo me- us intellecturum. Nam antea putabat pri- ium diſcrimen noſtrarum ſententiarum eſſe imis paruum, poſtea credidit eſſe nimis ma- num; nec ſatis diſtincte mihi procedere vi-

 deba-

debatur pro declarandis tanti momenti veritatibus, imo ne id quidem ſatis conſtituiſſe, quid vis et actio ſint. Eum a me ſalutari interim peto. Domino WEIGELIO etiam, ſi eum Noribergae inuenis, ſalutem a me rogo vt nunties, teſteriſque apud ipſum libentiſſime me ſemper ad praeclara eius conſilia aliquid collaturum, ſed poſtulanda ſunt, quae fieri poſſint: ſemper tantum ad me ſcripſit de rebus exigui momenti, et quae valde commendari non poſſunt. Velut de globis ſuis heraldicis, de Calendario etc. Ego vero malim agi res maioris ad bonum publicum momenti, et virum praeclarum, dum adhuc ſupereſt, vti Dei donis. Vale. Dabam Guelphebyti 9. Maii 1698.

P. S. Peto Domino D. SCHMIDIO ſalutem dici. Dominus CALIXTVS ſcripſit, ſe mox apud ſuum Ducem fore. Nihil tangere voluit de concluſione per maiora.

(†) Quid CALVOERIVS de re irenica ſentiat, expoſuit in *Conſultatione de pace Eccleſiaſtica inter Proteſtantes ineunda* ed. Goslariae 1705. et in *Relationibus innocuis* 1709. p. 290. ſeq. recenſita.

(††) Quibusdam Carteſianis non ipſi CARTESIO hanc ſententiam eſſe tribuendam GVNTHERVS CHRISTOPHORVS SCHELHAMERVS in *natura ſibi et medicis vindicata* Cap. V. §. IX. p. 91. propugnat.

EPISTOLA XV.

I. *De Weigelio.* II. *Status controuerſiae inter Sturmium et Leibnitium.* III. *Nuptiae Principis Amaliae et Roman. Regis.*

I. REditum tuum felicem et Tibi et nobis gratu-

gratulor. Neſcio an ſignificauerim Sereniſſimum Ducem ANTONIVM VLRICVM libenter tecum fuiſſe loquuturum, quum ex ſchedulis nomenclatoriis portarum vrbis tranſitum tuum ſed ſerius intellexiſſet. Gratias etiam ago, quod de Cl. WEIGELII inſtituto nonnulla me docuiſti. Literas Caeſaris ad Senatum Noribergenſem eius in gratiam ſcriptas, ſi exemplum commode nanciſci potes, videre peruelim fauore Tuo.

II. Accepi diſſertationem Apologeticam celeberrimi STVRMII, quae reſpondet Domini SCHELLHAMMERI obiectionibus, ex quibus animaduertere mihi videor, in nonnullis quidem nos conſpirare, ſupereſſe tamen, in quibus diſſentiamus, nec mihi corpora vi actrice inſita ſpolianda videri, quin potius in illis per omne corporum genus conſiſtere illam veterum ἐντελέχειαν animabus analogam, quae ſcholis ſubſtantialis formae nomine venit. (*)

III. Speramus quidem magis magisque tractatum matrimonii inter Regem Romanorum et Sereniſſimam Principem AMALIAM Electoris noſtri Conſobrinam concluſum iri, ſed nondum tamen expectatus confectae rei nuntius aduenit. Vale et faue. Dabam Linsburgi 2. Aug. 1698.

(*) IO. CHRISTOPH. STVRMIVS in Phyſica electiua ſeu hypothetica p. 164. declarat, ſe profiteri; *Solam* DEI *voluntatem efficaciſſimam eſſe virtutem illam vere agentem, quae non mota moueat, propriiſſime loquendo moueat, vnum corpus per alterum moueat, et hoc pacto, quidquid ſit effectuum naturalium, in omnibus etiam reconditiſſimis huius vniuerſi angulis, ſua ſolius immediata virtute efficiat.*

Ex

Ex quibus quidem celeberrimi STVRMII verbis conii-cere quis posset; eum non satis sibi constare. Si DEVS vnum corpus *per alterum* mouet, qui igitur immediate sua virtute omnia efficit? Et ipse LEIBNITIVS a primo motore DEO vim actiuam corporum vltimo deriuandam esse profitetur. Sed *immediate* DEVM omnia mouere pernegat, quum corpus in motu constitutum non possit non vi agendo esse praeditum. Conf. *Acta Eruditorum* anni CIↃIↃCXCIV. *mense Mart.* anni CIↃIↃCXCV. *mense Apr.* et ann. CIↃIↃCXCVIII. *mense Septembr.* vbi aliquot huc facientia LEIBNITII schediasmata reperias.

EPISTOLA XVI.

I. *De Franckii ad Leibnitium litteris.* II. *Elector Brandenb. irenicum negotium promouet.* III. *Loca aduersariorum nobis fauentia colligenda.*

I. NOn satis scio, an sim in aere tuo literario, nam ab aliquot septimanis fui distractissimus. Literas Halis accepi a Domino FRANCO, quibus significat, quae ipsi scripseras miserasue Lipsia (vbi et a me quaedam significaueras) periisse, nec fuisse perlata. Puto idem ipsum significasse Tibi, vt iudices, an ab amico iusto curiosiore, an alia ratione litterae fuerint interceptae.

II. Serenissimus Elector Brandenburgicus irenicum negotium promouere pergit, speramusque plura in eam rem, quae significare non intermittam.

III. Interea vtile erit notari subinde inter legendum occurrentia forte loca vtrorumque aduersariorum, tum etiam nostrorum rigidiorum, quae fauere videbuntur. Nam his in rebus plurimum valent argumenta ad hominem.

Nuper

Nuper nactus sum BRERLAEI Pontificii Angli librum: Cui titulus: Apologia Protestantium pro Romana Ecclesia, vbi nostrorum loca suis fauentia adducit. Vellem etiam similia inter nostros et Reformatos haberentur. Quod superest vale faueque. Dabam Hannou. 20. Sept. 1698.

P. S. An neminem nosti, qui habeat librum IAC. PAYVAE ANDRADII: Explicationes orthodoxae de controuersis religionis capitibus, quem refutauit CHEMNITIVS in Examine Concilii Tridentini. Mihi olim lectus est, sed ab eo tempore rursus non occurrit. Erat in auctione Albertina Lipsiae, sed disparuit, quum emi iuberetur.

EPISTOLA XVII.

I. *De Fabricii paradoxis theologicis.* II. *Consilia de negotio irenico tegenda.*

I. Literis Tuis gratissimis respondissem dudum, nisi iter Cellense interuenisset, quod me nonnihil distraxit, dum volo non negligere occasionem videndi magni Regis. Ante omnia pro dissertatione de paradoxis Theologicis ago gratias, quales meretur, i. e. singulares. Hoc ipsum est methodo expositoria operam praeclaram dare, qua saepe controuersiae difflantur. Vestra de Absoluto Decreto pergrata erunt monita ad scriptum mihi communicatum et vobist transmissum. In paradoxis Tuis commode distinguis cum DVRRIO inter meritum et conditionem. Nostrae etiam bonae

qua-

qualitates (siue fidem cum nostris, siue opera cum Pontificiis intelligas) non sunt meritoriae, sed conditiones, quibus alligare salutem Deo gratiose placuit. Verum enim vero videtur aliqua superesse difficultas circa arcanam dispensationem mediorum salutis, qua fit, vt alii per varias vitae occasiones disponantur ac suauiter seu salua libertate perducantur ad conditionem obtinendam, alii secus. Hic ergo redeundum est haud dubie ad βάθος Pauli, altitudinem sc. diuitiarum et sapientiae diuinae. Non quasi Deus alios ad fidem poenitentiamque finalem perducere statuat, alios secus decreto ita absoluto, vt omni causa impulsiua careat, quale in sapientem non cadit; sed quod rationes sint nobis occultae, Deo tamen dignissimae et cum iustitia eius ac bonitate maxime conuenientes.

II. De his, quae facultas vestra egit, non ita pridem scriptoque declarauit, suadeo, ne cuiquam quicquam vel literis vel coram significetur. Nam res eius momenti est, vt praestet eam haberi occultissimam. Ego certe nemini mortalium de ea verbulum dixi, praeterquam ei cui data est declaratio et ipsis facultatis membris. Non quod res sit pudenda, quum nil mihi videatur fieri potuisse laude dignius; sed quod non paucis esset displicitura, et alioqui plus efficaciae ac pretii inest occultatis, si non nisi in ipso temporis articulo, quo maxime prodesse possunt producantur. Vale. Dabam Hannou. 14. Octobr. 1698.

P. S.

P. S. Mitte mihi quaeso Catalogum Lectionum vestrarum Typis editum. Quid apud vos ANDRADII discere gratum erit.

EPISTOLA XVIII.

Leibnitius cogitata sua irenica cum Theologis Helmstad. communicat.

NVperas meas acceperis. Interea non expectato vestro responso de absoluto decreto, nata est occasio vos consulendi noua. Nempe ipsemet, petente amico Reformato, cogitata quaedam mea irenica delineaui, quae antequam communicarem, volui censurae prius vestrae submittere, rogoque vt cum Domino D. SCHMIDIO communices, et an ita ferri possint, me doceatis. Vale. Dabam Hannou. 21. Octobr. 1698.

EPISTOLA XIX.

De cogitatis Leibnitii irenicis.

EXpecto sententiam et Tuam et Domini SCHMIDII de scheda mea latina, non ita pridem transmissa; sed hoc, vbi vobis commodum erit. Sicubi addi posse aliquid aut explicari vtiliter debere iudicaueritis, quo magis sit ad gustum hominum, id rogo vt separatim etiam notetur. Si quae etiam occurrant loca nostrorum fauentia atque illustrantia; tanto facilior erit in animos ingressus. Vale. Dabam Guelfebyti 5. Nou. 1698.

P. S. Domino D. SCHMIDIO iam alterum exem-

exemplum mitto ſchedae latinae nonnihil interpolatum et mutatum a priore, petens, vt mihi poſt octiduum remitteret, priore ex hoc ſuppleto, et aliquando cum iudicio Veſtro ad me itidem redituro. Is Tecum nouam Schedam communicabit, et Tu cum illo priorem.

EPISTOLA XX.

Status controuerſiae inter Lutheranos et Reformatos in negotio Electionis.

PErplacent, quae ad ſcriptum de abſoluto decreto, expendam tamen amplius cum cura et ſtudio. Interim vt hoc addam in negotio Electionis, non iam videtur primaria difficultas in eo eſſe, an Deus decernat ſaluare quos fidem viuam finalem praeſcit habituros, ſed praeterea in ipſo decreto conferendae gratiae, ex qua naſcitur talis fides. Neque enim ad eam ex ſolis viribus humanis deuenitur, quum ſit donum Dei, ſed opus eſt tum gratia interna, tum gratia, vt ſic dicam, externa, i. e. occaſionibus et circumſtantiis, quibus mentes hominum ad bona vel mala, ſaluo licet libero arbitrio, plurimum inclinantur. Duae ergo, ni fallor hic naſcuntur quaeſtiones. Vna an Deus aequalem omnibus det gratiam internam, quod Reformati et Ianſeniſtae atque etiam Thomiſtae negant; alii vero paſſim affirmare videntur; altera quoniam negari non poteſt, gratias externas i. e. circumſtantias fauorabiles eſſe inaequales, quid Deum moueat, vt hos prae aliis in circumſtantiis talibus collocare decer-

lecernat, ex quibus cum libero arbitrio et gra-
ia interna coniunctis, in vno fidem et salutem
ıascituram praeuideat, in aliis secus. Hic alii
impliciter dicunt rationem, quae Deum hic
noueat esse iustissimam, quaecunque ea sit, alii
mplius procedentes, putant Deum eos collo-
are in fauorabilioribus circumstantiis, quos
er scientiam mediam vel similem praeuidet
is melius vsuros. Hae ergo duae quaestiones
na de aequalitate gratiae internae, altera de
ıaequalitatis gratiae (saltem externae) moti-
o vel causa impulsiua, reuera, ni fallor, di-
ortium faciunt inter partes, sed, vt mihi videtur,
ıinime fundamentale, quum agatur de modo
perandi Spiritus diuini, deque arcanis Dei
onsiliis. (†) Haec fortasse merentur expen-
i accuratius, libenterque de iis mentem ve-
ram intelligam, quemadmodum et de coete-
s in nouissimo scripto contentis. Pro prae-
aro munere systematis Theologici Domini
ırentis Tui piae memoriae gratias ago maxi-
ıs, vt et pro communicato libro ANDRA-
II, qui ad vos redibit. Quod superest vale
faue. Dabam Guelfebyti 9. Nouembr. 1698.

†) Nemo vocat in dubium Reformatorum doctorum sententiam esse; DEVM patrem non omnes sed quosdam tantum homines velle saluari; CHRISTVM IESVM non pro omnibus hominibus esse mortuum, sed tantum pro quibusdam ex incognitis rationibus, vt CALVINVS dicit, vel ex absoluto quodam decreto ad beatitatem aeternam destinatis; Spiritum S. vnice hos ipsos electos gratia sua velle conuertere, qui quidem neque Spritui S. resistere, neque beatitate aeterna illis destinata queant priuari. Et negari nequit, quod haec ipsa doctrina, si in

se spectetur, non possit non vel ad desperationem, vel ad securitatem, quam vocant, carnalem omnes, qui eam profitentur, ducere. *Quodsi enim* DEVS, verbis vtor Formulae Concordiae p. 800. *electos suos ad vitam aeternam praedestinauit; electio autem* DEI *errare non potest: neque eam quisquam impedire aut mutare valet; consequens est; quodsi ad vitam aeternam sum electus, nihil saluti meae decedet, etiamsi absque omni poenitentia omnis generis scelera atque flagitia designauero, verbum et sacramenta contempsero. neque vnquam de poenitentia, fide, precibus aut pietate cogitauero.* Conf. LEIBNITIVS in caussa DEI §. CXXXI.

Licet autem haec consequentia rectissime sese habeat; et ad ostendendam Reformatae doctrinae falsitatem vtique faciat, non tamen possunt hae ipsae sequelae Reformatis Doctoribus tribui, ac si illas suas facerent. Constat enim saepenumero vsu venire, vt aliquis antecedens defendat et consequens neget. Ad ipsum B. MARTINVM LVTHERVM prouoco, qui vt ipsemet in Commentario de Conciliis Tom. VII. *Altenb.* p. 271. profitetur, sub initium Reformationis tuitus est; nos vnice per fidem in IESVM CHRISTVM saluari, et tamen vno eodemque tempore varias superstitiones Pontificias huic veritati aduersas propugnauit. En ipsa Eius verba: *Vnd damit ich*, inquit, *mich selbst auch bei der Nasen nehme, vnd meine Narrheit nicht so vndanckbahrlich vergesse. Ich habe für 20. Jahren gelehrt, daß allein der Glaube gerecht mache, wie ich noch immer thue. Wäre aber dazumahl einer aufgestanden, der hätte gelehrt Möncherei und Nonnerei solte Abgötterei, vnd die Messe der rechte Greuel heissen, hätte ich solche Ketzer nicht helfen verbrennen, so hätte ichs doch gehalten ihm wäre recht geschehen. Vnd ich vnbedächtiger Narr kunte nicht sehen die Folge, die ich muste nachgeben, daß wo es der Glaube allein thäte, so könte es die Möncherei vnd Messerei nicht thun.*

Et sane saepenumero testati sunt Reformati Doctores sese ab his consequentiis quam maxime alienos esse. Proinde iniurii in illos essemus, si tueremur, eos supra recensitas conclusiones suas facere. Huc accedit quod in scriptis atque concionibus omnes ad vitam emendandam et ad

poeni-

poenitentiam ſedulo hortantur. Etenim praeter doctrinam de abſoluto decreto ſupra expoſitam et id defendunt: a priori nemini vni innoteſcere, vtrum ſit ad ſalutem praedeſtinatus? a poſteriori hoc tantum conſtare. Conſequens igitur eſſe omnes oportere de poenitentia agenda ſedulo eſſe ſollicitos. Certum enim; omnes electos debere peccatorum ſuorum poenitere, in IESVM CHRISTVM credere, et vitae ſanctae ſtudere.

Neque etiam eſt, quod dicamus, neminem vnum, qui ſupra expoſitam de praedeſtinatione doctrinam defendit, poſſe ſolatium ex illa reportare. Ex rei veritate Theologus doctiſſimus B. MICHAEL FOERTSCHIVS in oratione *de moderatione in controuerſiis cum Reformatis comparate ad Pontificios* Ienae 1721. edita lit. B. 4. et C. *Quum vero*, inquit, *ſententia illa Caluiniana non ita ſit comparata, vt ſimpliciter impediat ſalutaris fidei conceptum, ſed modus adhuc ſuperſit, quo Spiritus S. eam in cordibus operari queat; nefas foret eis fidem ſpemque ſalutis omnino denegare, ob diſſenſum, qui in fundo concernit modum operandi Spiritus Sancti.* Videlicet, vt et hoc addam, modo quis Reformatus Doctoris ſui praeceptis morem gerat; Operationi Spiritus S. malitioſe non repugnabit, poenitentiam aget, atque in IESVM CHRISTVM credet. Atque ſic vtique ſe ſolari poterit dogmate ſuo de particulari gratia. Ita enim rectiſſime argumentabitur: Quicunque in IESVM credit eſt in ſtatu gratiae; Atqui ego in IESVM credo; Ergo ſum in ſtatu gratiae.

Quae hactenus diſputaui eo conſilio protuli, vt oſtendam, defendi vtique et poſſe et debere LEIBNITIVM, qui hac ipſa epiſtola profitetur minime fundamentalem eſſe errorem Reformatorum de abſoluto decreto ſententiam; ſi quidem fundamentalis error appelletur, qui fidem non poteſt non euertere et actu ſemper euertit. At enimuero vbi de vnione inter Reformatos et Lutheranos ſtabilienda ſermo eſt; non ſufficit probaſſe Reformatos Doctores non fouere errores, qui ſemper fidem ſubruunt. Veritatis ſtudio ductus non poſſum non accedere virorum ſummorum B. IO. FRANC. BVDDEI et IO. GEORGII WALCHII ſententiae, qui in *indroductione in praecipuas religionis controuerſias* tuentur ſaepenumero euenire, vt error

ror aliquis non quidem apud omnes ſit fundamentalis, quibusdam tamen aditum ad beatitatem praecludat. Et huc errorem de praedeſtinatione etiam refero. Eo enim ſenſu Reformatorum de abſoluto decreto doctrina inter errores fundamentales referenda eſt, quod fidem ſubruere poſſit. Ipſa enim haec doctrina continet rationes, cur multi in CHRISTVM IESVM non credant, et licet non omnibus, qui eam profitentur, quibusdam tamen viam ad felicitatem aeternum duraturam obſtruit. Quis ignorat homines ad malum quam ad bonum eſſe propenſiores? Quum igitur ex doctrina de abſoluto decreto ſequatur, perinde eſſe qua ratione viuas; doctrina autem de incerta praedeſtinatione argumenta ſuppeditet, cur poenitentiae agendae ſtudendum ſit: nonne probabile eſt; plures, ipſius doctrinae de abſoluto decreto culpa, moueri vt diſſolute viuant, quam vt verbo DEI conuenienter vitam ſuam inſtituant? Rectiſſime obſeruauit LEIBNITIVS in praefat. Theod. ſuae praemiſſa; multos Chriſtianos, illos etiam, qui abſolutum decretum non defendunt, nonnunquam vitam agere ac ſi fatum aliquod ſtatuerent; praeſertim vbi res difficilis eſt ſuſcipienda et facinus perpetrandum, cuius felix euentus vel dubius eſt vel admodum remotus. Quae quidem peruerſa agendi ratio pigritiae hominum ſit adſcribenda, et ſophismati, quod veteres pigrum appellarunt. Nonne in iis caſibus multo magis eiusmodi viuendi ratio ab illis exſpectari poterit, qui abſolutum decretum data opera defendunt?

Verae etiam ſolidaeque conſolationis apud multos abſolutum praedeſtinationis decretum impatiens eſt; licet, quod ſupra probaui, in ſyſtemate Reformatorum et coniunctione cum aliis praeſtantiſſimis veritatibus, quos Reformati defendunt, omnem conſolationem non excludat. Vir quidem clariſſimus IO IAC. HOTTINGERVS in ſingulari diſſ. Eſlingae 1723. recuſa tuitus eſt *Conſolationem Euangelicam in tentationibus ſolidiorem ex particulari quam ex vniuerſali gratia hauriri.* Sed rectius vir ſummus SAMVEL PVFENDORFIVS in *iure feciali diuino.* §. 68. p. 254. *Quamdiu liquidus ſenſus fidei in eo, qui particularitatis dogmate imbutus eſt, deprebenditur, eo ſe ſolari poteſt: aſt iſto vi tentationum intercepto, vnde tunc ſola-*

tium petendum? Qui uniuersalem gratiam propugnant respondebunt; *per* DEVM *non stare, quo minus nos et omnes in statu gratiae simus, nosque certo recipiendos in gratiam, modo eam oblatam contumaciter non respuamus* Conf. Theologi doctissimi B. GOTTLIEB WERNSDORFII dissertatio *de absoluto decreto solidae consolationis impatiente.* Vitemb. 1726. habita §. XXXVI. p. 52. Qui vero particularem defendunt gratiam, quomodo eiusmodi tentatum consolari queant equidem, fateor, non intelligo. Dicendo: ante obitum neminem scire posse an sit reprobus? aliquem quidem scrupulum tentato eximent; sed ad solidam consolationem hoc ipsum non sufficit.

Optime igitur sese habent, quae in *Formula Concordiae* p. 800. dicuntur: *Ex opinione enim hac* (de absoluto decreto) MVLTI *absurdas, periculosas et perniciosas cogitationes hauriunt: quae aut securitatem et impoenitentiam, aut angustias et desperationem in mentibus hominum gignunt et confirmant.* Quae quidem quum ita sint, satis dispicere non queo, qua ratione aliqua concordia et vnio, secundum quam perinde est siue Lutheranas siue Reformatus doctor doceat, inter Lutheranos et Reformatas Ecclesias sperari possit, quamdiu hae siue harum aliquae dogma de absoluto decreto propugnare non desinunt. Quis enim iure poterit defendere; vnum ac idem esse, siue doctrina periculi plena proponatur, siue doctrina doceatur, quae non solum omni periculo caret; sed et verissima est atque solatii plenissima?

EPISTOLA XXI.

I. De Leibnitii de corporis praesentia opinione. II. *De ordine decretorum controuersia cuius momenti?* III. *De Guilielmi Forbesii considerat. controuersiarum.*

GAudeo tentamen meum vobis non displicuisse, praesertimque eam partem, quae de corporis natura et praesentia (*) tractat, vtilem visam. Circumspiciendum iam de locis fauentibus Reformatorum.

II. SPANHEMIVS iunior (**) et PICTETVS (***) mihi videntur iusto acrius loqui, quod ad absolutum decretum attinet, putaui disputationem de ordine decretorum posse seponi, quum nec in ea verum momentum mihi videatur situm, nec satis referat dicere, decretum esse Deo saluare, quos aut quia scit fidem habituros, si de alio decreto quaestio superfit dandi fidem (quae et ipsa Dei donum est) aut potius dandi omnia, ad fidem habendam requisita extra ipsam hominis libertatem posita, interna et externa ad voluntatem intellectumque conferentia; quemadmodum et in nuperis meis dixi. Vbi sane iam non amplius fides praeuisa in considerationem venire potest, sed aliae rationes, quaecunque illae sint demum. (†) Paradoxa Tua Theologica magnae sunt vtilitatis ad conciliandos animos, et optandum ea porro continuari.

III. Legistine aliquando GVILIELMVM FORBESIVM Anglum; GVILIELMVM, inquam, non IOANNEM, cuius extat instructio Hist. Theologica. GVILIELMVS ille controuersias magna cum moderatione et doctrina tractauit. (††) Eius librum non magnum vidi ante multos annos apud Baronem BOINEBVRGIVM; ab eo tempore mihi non occurrit. Vale. Dabam Hannou. 25. Nouembr. 1698.

(*) Conf. Epistolam XXII.

(**) SPANHEMIVS iunior in *Elencho controuers. cum Lutheranis* p. 368. sq. *Datur*, inquit, *decretum praedamnationis diuinae, independens a caussa extra* DEVM *eiusque bene-*

beneplacitum, *quo* DEVS *ſtatuit*, *multorum non miſereri ad ſalutem*, *ſed illis negare gratiam ſalutarem.*

***) PICTETVS in Theologia Chriſtiana p. 651. ſq. *Non mirum eſt*, inquit, *ſi* DEVS *Euangelium promulgari patiatur reprobis*, *quibus fidem dare non vult.* DEVS *ſalutem reproborum minime intendit.*

†) Omnibus illis DEVS ad fidem conſequendam ſufficientia dat media, qui operationi Spiritus S. malitioſe non repugnant.

(††) GVILIELMI FORBESII Edenburgenſ. in Scotia Epiſcopi *Conſiderationes controuerſiarum* IO. FABRICIVS Helmſtadii 1704. in 8. recudi curauit, iisque *compendium regulae fidei catholicae Veronianae*, *ad oſtendendum*, *quae ſint*, *quaeue non ſint de fide catholica* attexuit. Idem GVIL. FORBESII vitam in Hiſtoria Bibliothecae ſuae P. IV. p. 446. recenſuit.

EPISTOLA XXII.

I. *Fabricii laus.* II. *De abſoluto decreto.* III. *De ſacra coena quaenam Caluini ſententia?* IV. *De numo nuptiis Regis Roman. et Ducis Brunſuicenſis a Leibnitio dicato.*

I. Literas Tuas gratiſſimas, ſed cum faſciculo accepi, in quo pudorem meum grauas, dum ea, quae feci ex officio muneribus demereri inſtituis. Ego vero dum Tuam cauſam egi, egi Principum, egi Academiae, quibus Te ſeruare magis ipſorum intereſſe mihi viſum eſt, quam Tua; vt adeo vix gratiae a Te mihi debeantur, munera autem nullo modo. Sereniſſimis Ducibus fratribus ambobus vt quam maturrime ſcribas cenſeo. Vbi ſub aſpectum deinde venies; poteris repetere gratiarum actionem. Ego apud noſtros hodie manere pergam, vt ne ab ipſorum parte mora ſit.

Nisi forte iam expedita res est. Titulum Consiliarii Ecclesiastici Guelfebytani lubentissime concessuros puto, quum et merearis omni ratione, et nullo id fiat illorum incommodo. Decretum expectationis forte non tam facile expeditum erit. Interea danda est opera, vt res magis magisque certa reddatur.

II. GVILIELMI FORBESII a multis annis non conspectum videre apud Dominum Abbatem, cui misisti, iucundum erit. Optima sunt, quae de Absoluto Decreto vel gratia, electionis causa, et similibus mones, vnde apparet, nec nostrates in rebus tam profundis satis conuenire; multoque minus, vt cum aliis conueniant, opus esse; modo practica salua maneant, et forma sanorum verborum seruetur. Quod Domino HEINSONIO fauit ordo vester, mihi pergratum est, tum ipsius, tum Principis causa, cuius quum sit Superintendens Generalis et Concionator Aulicus, honori etiam Domini id datum intelligi potest. Fuere, qui initio ipsi non optime cuperent, quod praeiudiciis contra eum occupati essent, sed eos iam mitigatos puto. Omnino praeclarum est institutum Tuum colligendi loca autorum fauentia conciliationi. Nihil potest fieri ad rem irenicam aptius.

III. Ego inprimis cogitaui, qua ratione fieri queat, vt in negotio S. Coenae appareat, Reformatos nostris propiores esse, quam vulgo putantur. Vidi autem re bene perpensa, si modo CALVINI doctrinae in hoc articulo insistant, rem habendam pro confecta. Nam non

non tantum institutionum eius caput huc pertinens, sed et varia alia eius scripta percurri, atque excerpsi, ex quibus apparet, eum serio, constanter, acriter vrsisse realem ac substantialem perceptionem corporis et sanguinis Christi, et quod praesentiam realem negauit, non de alia intelligendum, quam de dimensionali, qua vtique Christus salua humana vel corporis natura in coena esse non potest. Quod si ille intellexisset, quod a me expositum memini-
ti, substantiam corporis in potentia primitiua actiua passiuaque consistere, et in huius applicatione immediata consistere praesentiam substantiae, etiam citra dimensiones; non scripsisset, quod B. CALIXTVS inprimis in Consid. Colloquii Toruniensis, et alibi improbauit, tantum a nobis abesse corpus Christi, quantum coelum a terra, illud displicet, quod nonnulli Reformati hodie magis ex ZVVINGLII, quam CALVINI sententia loqui videntur: sed forsasse, re accuratius examinata, redibunt ad meliora. (*) Certe confessio Anglicana prorsus est ad CALVINI mentem. (**)

IV. Numi pulcherrimi Noribergenses admonent me cogitationis, quam nuper habui de Medallionis aliquo Noribergae formando prototypo, occasione matrimonii inter Regem Romanorum et Principem AMALIAM Brunsuicensem, et (si Tibi audeo hoc facessere negotium) putem ope Tua posse hominem operi aptum haberi, cunctaque transigi commodissime. Scripsi iam Mutinam, vt inde obtineam delineationem seu Icona Principis Sponsae aptam

numo. Puto igitur rem ſic poſſe inſtitui, vt ab vna parte conſpiciantur Rex et Regina, ab altera parte Aquila et Leo, inſignia vtriusque, et coram ara cum igne, quaſi in foedus, ſupra autem: REGALI FOEDERE. Sunt enim haec animalia Regia ad aram acclinata vtrinque ſerta inſignium. A tergo Aquilae erunt variae aues, et ſimiliter poſt Leonem varia animalia, ſed omnia exigua et ex longinquo, vt magis appareat, quae indicatur, Regia dignitas. De ipſo Rege et Regina hoc non inelegans occurrit, et nouum, vt vnius pectori alterius imaguncula applicita appareat, quo expreſſior et agnoſcibilior, eo magis futura laudi, et haec non amplius ex obliquo (en profil) ſed ex aduerſo. (de front) Porro quum nihil hoc in numo lucri quaeram, ſed tantum aliquot medalliones habere velim, quos Regi et Reginae et proximis curem offerri, putem artificem, cui libertas manebit, vtendi alibi prototypo, non tantum nihil eo nomine poſtulaturum, ſed et gratam inuentionem habiturum; praeſertim quum ſumtus faciam; vt iconas habeamus. De Rege tamen non ſum ſollicitus. Eius vtramque repraeſentationem fidelem obliquam et directam iam haberi facile Noribergae putem. De Regina igitur cura mea erit; Audeo igitur petere, vt, ſi vacat, per amicos rem Noribergae confici cures. Artifex mittet nobis ante omnia delineationem auerſae partis, vt monere liceat, quae in rem videbuntur. Nec dubium eſt ipſum, vt exercitatum in iſtis inuentis, facile aliquid additurum. Vale et

ignoſce

gnosce libertati huic, qua non vterer, si aliam ommodiorem rei conficiendae rationem viderem. Beneficium semper agnoscam vt debeo. Vale. Dabam Hannou. 6. Decembr. 1698.

P. S. Ne in artificis manu sit fallere nos praeueniendo, vt sunt quidam lucri cupidi, spero amicos Tuos cauturos, tum stipulando ab ipso sponsis ambobus et proximis eorum non oblaturum esse directe vel indirecte aut transmissurum, nisi meo consensu; sed nec distributurum cuiquam ectypos, antequam mei potuerint esse oblati; tum non omnia statim aperienda, poterunt enim, quamdiu licet, dissimulari tum (il motto) Epiphonema: REGALI FOEDERE, tum etiam quod de imagunculis dixi.

(*) E re erit ipsa IOANNIS CALVINI verba in medium proferre, quae ad LEIBNITII sententiam communiendam facere posse videntur. CALVINVS in *institutione religionis Christianae* cap. XII. de Coena Domini saepenumero veram corporis et sanguinis CHRISTI in sacra Coena perceptionem admittit. Ita v. g. p. 330. edit. quae Argentorati 1539. in fol. prodiit; *Neque illi*, inquit, *mihi satisfaciunt, qui nonnullam nobis esse cum* CHRISTO (in sacra Coena) *communionem agnoscentes, eam dum ostendere volunt, nos spiritus modo participes faciunt, praeterita carnis et sanguinis mentione. Quasi vero illa omnia de nihilo dicta forent, carnem eius vere esse cibum, sanguinem eius vere esse potum* p. 335. *si per fractionem panis, Dominus corporis sui participationem vere repraesentat: minime dubium esse debet, quin vere praestet atque exhibeat. Atque omnino isthaec piis tenenda regula est: vt quoties symbola vident a* DEO *instituta, illic rei signatae veritatem adesse certo cogitent, ac sibi persuadeant. Quorsum enim corporis sui symbolum tibi Dominus in manum porrigat, nisi vt de vera eius participatione te certiorem ita faciat? Quodsi verum est praeberi nobis signum visibile*

ad

ad obsignandam inuisibilis rei donationem; accepto corporis symbolo non minus corpus etiam ipsum nobis dari certo confidamus. Quid de modo, quo quis in sacra coena corporis et sanguinis CHRISTI particeps fiat, sentiat p. 330. exponit. *Sunt enim*, inquit, *qui manducare* CHRISTI *carnem, et sanguinem eius bibere vno verbo definiunt, nihil esse aliud quam in* IESVM CHRISTVM *credere. Sed mihi expressius quoddam ac sublimius videtur voluisse docere in praeclara illa concione, vbi carnis suae manducationem nobis commendat. Nempe vera sui participatione nos viuificari, quam manducandi etiam ac bibendi verbis ideo designauit; ne, quam ab ipso vitam percipimus, simplici cognitione percipi quispiam putaret. - - - In hunc modum voluit Dominus, panem vitae se nuncupando, non tantum docere in mortis resurrectionisque suae fide repositam esse nobis salutem; sed vera etiam sui communicatione fieri, vt vita sua in nos transeat, ac nostra fiat. Non secus ac panis dum in alimentum sumitur, vigorem corpori administrat. Nec alio sensu* AVGVSTINVS, *quem illi patronum sibi aduocant, credendo non manducare scripsit, quam vt manducationem istam fidei esse, non oris indicaret. Quod neque ipse nego, sed simul tamen addo, nos fide complecti* CHRISTVM, *non eminus apparentem, sed se nobis communicantem.*

Ex iis quae adduxi CALVINI verbis manifestum esse videtur, eum verissimam corporis et sanguinis CHRISTI in sacra coena praesentiam vna cum LVTHERI discipulis defendere. At enimuero modo accuratius eius verba pensitentur, quoad omnia illi cum Lutheranis in articulo de sacra coena non conuenit. Referam, quod MARTINVS SCHALLINGIVS in epistola ad ipsum IOANNEM CALVINVM CIϽIϽLVI. data de eius de sacra coena sententia iudicauit: *Video*, inquit, *in tuis institutionibus te rectius loqui ceteris: sed vt verum tua dixerim pace, nondum perspicio, idem te dicere, quod Augustana confessio habet. Imo quod doces coenae substantiam esse* CHRISTVM *ipsum, postea tollis, quum non de substantia sed effectu dictum accipis. Haec ergo ad Te libere et candide: non vllius hominis adhortatione motus scribo. De altero capite facile conueniret: si recte inter nos de primo statutum*

tum esset. Incredulos accipere carnem et sanguinem CHRISTI, PAVLVS *expresse testatur; quod autem in illis efficax non est sumtio carnis et sanguinis Domini, sumentium fit vitio, quibus non est corpus viuificum, quia fide destituuntur. Ita Euangelium odor est mortis incredulis.* Conf. celeberrimi SAL. ERN. CYPRIANI Tom. II. *Commonitorii de pace Protestantium Eccles.* germanice edit. p. 293. n. XXIX. vbi SCHALLINGII ad CALVINVM epistolam ex autographo editam reperias. Atque ita etiam sese res habet. Impios vere carnem et sanguinem CHRISTI in sacra coena sumere negat IO. CALVINVS p. 334. et 335. *Talem*, inquit, *corporis et sanguinis sui communicationem Dominus in sacra coena testificatur, adeoque offert et exhibet omnibus, qui ad spirituale illud epulum accumbunt; quamquam a fidelibus solis percipitur, qui tantam benignitatem, qua decet, fide animique gratitudine suscipiunt.* Idem p. 334. tuetur contradictionem inuoluere vno eodemque tempore in coelo atque in sacra coena substantiali praesentia corpus et sanguinem CHRISTI adesse posse. *Neque tamen*, inquit, *talis formanda nobis est* (fidelium cum carne et sanguine Domini communio) *qualem in scholis crassiores sophistae confinxerunt: ac si locali praesentia corpus* CHRISTI *manibus attrectandum, atterendum dentibus, ore deglutiendum sisteretur. Siquidem vt finitum esse, pro perpetua corporis humani ratione, minime ambigimus coeloque contineri, quo semel receptum est, donec ad iudicium redeat: ita sub haec corruptibilia elementa retrahere ipsum, aut vbique praesens imaginari nefas esse ducimus.*

Quemadmodum vero Lutherani dimensionalem corporis CHRISTI in sacra coena praesentiam nullo modo defendunt; sic LEIBNITIVS, qui realem corporis et sanguinis CHRISTI in sacramento Eucharistiae praesentiam pie, quemadmodum decet, credidit, ex instituto probare annisus est, contradictionem non inuoluere corpus CHRISTI finitum coelo contineri atque in sacra coena sacramentali vnione esse praesens. In *discursu de consensu rationis et fidei* Theodicaeae praemisso §. XX. p. 29. ex edit. celeberrimi Profess. G. F. RICHTERI tuetur propterea dici cum ratione nondum posse, realem corporis

CHRI-

CHRISTI in pluribus locis praesentiam contradictionem inuoluere, quia huc vsque nondum satis explicatum sit, in quo essentia corporis consistat. Reuerendissimo quidem Cancellario C. M. PFAFFIO hoc argumentum LEIBNITII non satisfacit: In dissertationis enim *de contradictoriis num proprie loquendo credi possint epimetro* p. 20. *nimium*, inquit, *maxime quod rationem ex essentia corporis nobis incognita petitam concernit, affirmare videtur, quum ex hoc viri summi ratiocinio prono nexu id, quod tamen numquam in animum suum inducturum fuisse eumdem credimus, sequatur, nec pronuntiari hactenus, donec quid essentia corporis sit definiatur, posse, num contradictionem implicet, quod S. Antonius de Padua Romae et Vlyssipone eodem tempore praedicauerit? etc.* At enimuero quum LEIBNITIVS cum omnibus Lutheranis neget in sacra coena dimensionalem esse corporis CHRISTI praesentiam, adeoque diuerso modo corpus CHRISTI in coelo et in sacra coena praesens esse defendat; ANTONIVS autem DE PADVA et Romae et Vlyssipone eodem tempore dimensionaliter praesens fuisse dicatur; manifestum est de ipsius LEIBNITII sententia Eius argumentum sequentem in modum limitari debere: vbi diuerso modo, cuius alter modus incognitus est, corpus in diuersis locis praesens esse dicitur; contradictio nequit ostendi, quamdiu essentia corporis satis cognita non est.

In hac ipsa, in quam commentor, epistola LEIBNITIVS vlterius progreditur, et statuit vtique possibile esse, quod corpus ratione substantiae praesens sit, licet non praesens sit dimensionaliter. Argumentum eius ita se habet: Si ad praesentiam substantiae corporis requiritur potentiae actiuae passiuaeque applicatio; praesentia dimensionalis ad eam non necessario requiritur. Atqui. E. Maiorem propositionem suppositis LEIBNITII Principiis, recte se habere vel exemplo solis constat. Agere dicitur id, quod in se continet rationem mutationis alterius. Sol igitur agit in homines quos illuminat. Continet enim in se rationem, quare illuminatio euenit. Interim tamen nemo dixerit dimensionaliter solem omnibus illis esse praesentem quos illuminat. Ad minorem quod attinet 1,) substantiam corporis eius potentiam primitiuam actiuam passiuamque dicit LEIBNITIVS,

NITIVS, quod ea ipsa potentia continet rationem omnium, quae in corpore euenire possunt. Nulla mutatio in corpore euenire potest, nisi mediante motu. Quemadmodum autem e potentia actiua corporis intelligitur quinam motus in corpore sint possibiles; sic e potentia passiua perspicitur; cur tales potius motus sint possibiles quam aliae? conf. LEIBNITIVS in Actis Erudit. CIƆIƆCLXXXVIII. p. 432. sq. et vir summus CHRISTIANVS WOLFIVS Ontolog. lat. §. 771. et 294. 2.) ex inductione exemplorum manifestum est, quod vbi res aliqua, quocunque nomine veniat, in nos agit, aut a nobis patitur ratione substantiae nobis praesens dicatur. Quod enim nonnulli scholasticis verbis assueti sibi fingunt certum aliquod receptaculum extensum, in quo res esse debeant praesentes, notionem deceptricem esse solide LEIBNITIVS docuit, in epistola V. ad CLARCKIVM T. I. *Recueil de diuerses pieces par Mr. Leibniz etc.* p. 119. §. LXII. sq. conf. celeberr. I. TH. CANTZIVS, qui in Commentario *de philosophiae Leibnitianae et Wolfianae vsu in Theologia* cap. VII. p. 309. seqq. egregie docuit, quid de omnipraesentia humanae CHRISTI naturae atque praesentia corporis et sanguinis Eius sacramentali de sententia LEIBNITII dici debeat.

(**) Conf. BENTHEMIVS *im Englischen Schul- und Kirchen-Staat* p. 181. et 182. ex edit. vener. MENTZERI.

EPISTOLA XXIII.

I. *Caluini de sacra coena sententia.* II. *Cum Abbate Molano scriptum de absoluto decreto communicatur.*

I. NOn dubium est, medallionem moduli non minimi esse debere, nempe medium in istis tenendum est, vt tanta sit magnitudo, quanta sufficit, ne exiguus videatur. CALVINVS se optime explicat, ostenditque perceptionem a se non intelligi imaginariam, quali Romae sumus, sed substantiae ipsius. Fidem

dem autem requirit, vt conditionem, vnde non agnoſcit perceptionem indignorum, in quo re vera diſcrimen a noſtris manet. Caeterum etiam nos magis ore, quam oraliter, dentaliter, gutturaliter percipi ſtatuimus. Nempe quia non aliam ponimus conditionem, quam perceptionem elementi ore factam. Caeterum valde ago gratias, quod petitioni meae beneuole deferre, et quod deſideraueram amico Noribergenſi mandare voluiſti, quem non dubito, quin pro Tua prudentia inſtruxeris. Vale et faue. Dabam Hannou. 27. Dec. 1698.

P.S. Domino Abbati Luccenſi iam velut acceptum communico ſcriptum breue Germanicum, de abſoluto decreto, ſimulque ei ſignifico, me vobis copiam eius miſiſſe, vt poſitis ſententiam veſtram ad me perſcribere, poſt aliquot deinde dies mittam ei ſcriptum, iam a Te mihi transmiſſum, tanquam recens acceptum. Hoc ſignifico neſcius ne ſis. Nam quaedam impediere, quo minus Domino Abbati iſta prius communicarem. Deum precor, vt in hoc anno nouo imminente multos alios felices inchoes.

EPISTOLA XXIV.

De orali in ſacra coena manducatione.

NEſcio quomodo oblitus ſum Tibi ſignificare iter meum Guelſebytanum, ob vias pluuiis et ſolutis niuibus mire corruptas, fuiſſe dilatum. Orali manducatione commodus ſenſus aſſignari poteſt, vt orale non ſignificet modum

lum, ſed conditionem, hoc eſt, vt oris actus ſufficiat ad perceptionem rei coeleſtis. Sed praeſtaret tamen dicere ore factam, quam oralem, (†) quia hoc adiectiuum ſua natura motum indicat. A cuius diſquiſitione abſtinendum eſſe prudentiſſime monent. Pro votis in annum nouum a Te beneuolentiſſime pro me conceptis gratias ago debitas, et mea repeto, ut Te Deus diu Eccleſiae bono, et amicorum voluptati ſeruet. Dabam Hannou. 13. Ianuar. 1699.

†) In libris noſtris ſymbolicis per manducationem *oralem* corporis et ſanguinis CHRISTI nihil aliud intelligi quam *ore factam*; ex *Formul. Concord.* art. VII. p. 736. conſtat. Inibi enim dicitur: *Ergo illud* CHRISTI *mandatum, conſideratis diligenter omnibus circumſtantiis, non poteſt niſi de orali, non autem de craſſa, carnali, capernaitica, ſed de ſupernaturali et incomprehenſibili manducatione corporis* CHRISTI *intelligi. Ad hanc manducationem, quae ore fit,* CHRISTVS *mandato ſuo etiam alteram requirit etc.*

EPISTOLA XXV.

Fabricio Conſiliarii Eccleſ. deſtinatur honos. II. *Donaueri deſiderantur ſpecimina.* III. *Leibnitius Bibliothecae Guelph. non vult dici Director.*

Apud Sereniſſimum Ducem ANTONIVM VLRICVM paucis tetigi occaſione data quam mihi dignum et aequum videatur, honorem Conſiliarii Eccleſiaſtici Tibi conferri, et expectationem illam vlteriorem certam reddi, quod non illubenter viſus eſt audiſſe, et ſpero omnia recte proceſſura. Auguror ſcriptum ideo nondum remiſſum, quia diligen-

tius legere et expendere vobis placuit, quod ſane optime factum cenſeo. Nam in rebus huius momenti cura opus eſt, interim cum ſententia a vobis iunctim danda exſpectabo.

II. De Domino DONAVERO quod ſcribis pergratum eſt, libenterque videbo ſpecimina ab ipſo, vt data aliquando occaſione commendare virum poſſim. Vellem noſſe an et praxis forenſis ſimul vſum habeat ac trituram, id enim aliqui reſpiciendum cenſent non immerito, ob reſponſa danda. Literas Tui amici remitto, vobisque ambobus debeo gratias, conditione oblata praeſtat non vti, et noſtri de aliquo Medallione pro Regina ex ſuggeſtione mea cogitant.

III. Neſcio an iam ſcripſerim: malle me, ne mei fiat mentio, quum de GVELFEBYTANA Bibliotheca agetur, neque enim niſi eminus eius aliquam curam gero. Nec qui fiunt iudices ſuaſu meo adhuc ſunt tanti vt memorentur. Vale et faue. Dabam Brunſuigae 14. Februar. 1699.

EPISTOLA XXVI.

De Donaueri diſſertationibus iuridicis.

Multas debeo gratias et pro miſſis et pro oblatis. Domini DONAVERI diſſertationes Iuridicae non videntur contemnendae, faceresque pro beneuolentia Tua, vt aliquando plura de eo intelligamus. Vellem demereri poſſe, quae pergrata quidem, ſed non ita temere ſemper acceptanda mihi transmittis. Scriptum

ptum cum veſtra ſententia recipiam, vbi commodum erit, Dn. enim D. SCHMIDIVS nunc videtur occupatior. Quod ſupereſt vale et faue. Dabam Hannou. 3. Mart. 1699.

EPISTOLA XXVII.

Iudicium de ſcripto quodam irenico.

Scriptum germanicum, quod apud vos manſerat, examinandum recepi, miſſu, vt puto, Dn. D. SCHMIDII; ſed nulla ab ipſo adiecta epiſtola, ob valetudinem imminutam. De quo doleo, rogoque hortari virum praeclarum velis, temperet ſibi nonnihil a ſtudiorum laboribus, idemque Tibi dictum putes. Caeterum, quoniam iuſſu Miniſtrorum Status et rogatu Dn. Abbatis haec vobis communicata ſunt; eo animo, vt veſtra habeatur ſententia; nec vero quidquam adiectum apparuit praeter notulas quasdam Tuas; rogo, quo habeam quod ad eos referam quorum egi negotium, vt ſcripturam mihi mittatis aliquam breuem, iudicium veſtrum complexam et ab vtroque veſtrum ſubſcriptam. Quod ſupereſt vale faueque. Dabam Hannou. 24. Mart. 1699.

IVDICIVM THEOLOGORVM HELMSTAD.

Iudicium de germanico ſcripto, cui titulus: *Kurtze Vorſtellung der Einigkeit und des Unterſcheides im Glauben bey der Proteſtirenden, nemlich Evangeliſchen und Reformirten Kirchen etc.* quanta poteramus, ac debebamus, cum diligentia perlegimus, atque expendimus. Viſum autem id nobis eſt pium, orthodoxum, accuratum, ſolidum, moderatum, ac ad pacis

concordiaeque ecclesiasticae scopum omnino faciens. Non praeiudicatur in eo nostrae causae, sed nec dissentientibus via concordiae vllo modo difficilis redditur. Cumprimis nobis placuit elegans, nec alibi fere occurrens explicatio de Deo abscondito Lutheri, et praesentia corporis Christi in S. Coena, ne quidem naturam corporis euertente. Itaque non dubitamus, praedictum iudicium vtroque, quod in prouerbio dicitur, pollice adprobare, eique manu propria subscribere. Deum pacis rogantes, vt salutare propositum, in Ecclesiae suae commodum et tranquillitatem felix fortunatumque esse iubeat. Helmstadii, in Academia Iulia XXVI. Mart. 1699.

Io. Fabricius D.
Io. A. Schmidt D.

EPISTOLA XXVIII.

I. *Hippolytus a Lapide quis?* II. *Placcius obiit.*

I. Si Bogvslai Chemnitii nomen fictum dixi, haud dubie dixi male. Verum Hippolyti a Lapide auctorem alii hunc Chemnitivm faciunt, alii Dransaevm, alii Camerarivm, alii alios; Certi, quod sciam, nil habemus. Et fortasse nec Sueci hodierni dare possent. De Benbellonae suscitabulo nunc non habeo quod dicam, olim fortasse habuissem. Sed mihi talia pleraque dudum animo sunt elapsa; Rebus postea magis quam personis intento.

II. Placcivm obiisse doleo, vereorque, ne ita pro-

protrahatur eorum editio, quae non contemnenda opera affecta habuit. Quod superest vale faueque. Dabam Guelfebyti 14. Apr. 1699.

EPISTOLA XXIX.

I. *Bartholdus Schwartz num Goslariae egit?* II. *Negotii irenici status.*

I. Si quando Altorfium scribes ad amicum, rogo vt inquiras (me tamen non nominato) vnde habeat Dominus WAGENSEILIVS, quod alicubi in Pera sua ait, BARTHOLDVM SCHVVARTZ inuentorem pulueris pyrii Goslariae egisse?

II. Negotium irenicum, de quo scribis, mihi hactenus nec processisse, nec retroiisse videtur, sed stare adhuc et velut nutare, indigum aliquo ab aulis flatu. Quod superest vale et faue. Dabam Guelfebyti 11. Aug. 1699.

EPISTOLA XXX.

I. *Leibnitius refutationibus non delectatur.* II. *Donaueri caussam agit.*

Domini HOSEMANNI scriptum contra CLERICVM et HARDTIVM nostrum non vidi. Non admodum refutationes quaerere aut legere soleo, et de rebus huiusmodi suspendo iudicium.

II. De DANAVERO suo tempore merito cogitari poterit, sed tecum vereor, vt apud nos inuenire possit, quibus cum fructu pensentur, quae illic habet. Quod superest vale faueque. Dabam Hannou. 9. Iun. 1699.

EPISTOLA XXXI.

Latinae interpretationis historiae Concilii Tridentini auctor quis?

Memini a Te quaesitum aliquando, quis autor Latinae versionis Historiae Concilii Tridentini, a PAVLO SARPIO Seruita conscriptae? Is tunc non succurrebat, nunc forte inter antiquas meas schedas reperi, eum credi ADAMVM NEVTONVM Scotum, qui fuit Ephorus studiorum Principis HENRICI, filii primogeniti IACOBI Regis magnae Britanniae, et postea Decanus Sarisberiensis, idque notasse DEVBERVM istum in oratione funebri extincto ANDREA RIVETO habita, qui NEVTONO aliquando Praeceptore in Gallia erat vsus. Sed credo, sero id iam ad Te perscribo. Prodiit enim, vt intelligo, editio Lipsiensis, quanquam nondum peruenerit ad manus meas, vt adeo scire non possim, an, qui eam curauere, nomen autoris indicarint. Quod superest vale faueque, et inclusum reddi quaeso iube. Dabam Hannou. 26. Iun. 1699.

P. S. Pro praeclaris exercitationibus ago gratias. Nihil a Te nisi doctum, amoenum, profuturum.

EPISTOLA XXXII.

I. *De Secretione Veroniana et Walenburgiis iudicium.* II. *Massenii Concordiae institutum.*

I. Libellus, cui titulus Secretio, perplacet. Vellem accessisset nomen autoris, locus im-

impreſſionis & ſolita adprobatio, ita enim plus habiturus eſſet ponderis. Nunc erunt, qui haec ſuppreſſa in ſuſpicionem habent, quaſi ne apud ſuos quidem ſcriptum probetur. Neque enim omnia Veroniana ſünt, ſed quaedam aliunde corrogata. VERONIVS recte fecit, dum ſecretionem in ſuis inſtituit, ſed minus recte a noſtris exegit, vt verbotenus ſine conſequentiis omnia in ſcripturis expreſſa demonſtrarent, quae poſtulatio merito irriſa fuit; et a ſociis etiam deſerta. WALENBVRGII etiam plus adprobationis inuenere, dum ſua quantum poſſunt commode proponunt, quam dum in noſtros neſcio quas methodos VERONII exemplo diſtringunt. (*) Si poſſem obtinere adhuc bina exemplaria, ſed non ligata, mitterem inſignibus quibusdam Viris.

II. Illa, cuius Reuerendiſſimus Dominus Abbas Werdenſis meminit, confeſſio ex verbis Scripturae, quam Euangelicis oblatam ait, qualis ſit non recordor; niſi intelligit meditatam MASENII concordiam, quae tamen, ſi recte memini, non Francofurti, ſed Ratisbonae producta eſt, non tamen vlla publica autoritate. (**) Vale faueque. Dabam Hanou. 29. Octobr. 1699.

(*) De FRANC. VERONII et WALENBVRGIORVM ſcriptis eorumque aduerſariis conf. B. IO. FRANC. BVDDEVS in Iſag. Hiſt. Theol. ad Theologiam vniuerſam lib. poſter. cap. VII. p. 1274. ſqq. et B. IO. FABRICIVS in hiſtoria Bibliothecae ſuae P. II. p. 127. ſq.

(**) IAC. MASENIVS Ieſuita librum, cuius index: *meditata Concordia proteſtantium cum catholicis in vna confeſſione fidei ex ſacra ſcriptura* Coloniae 1681. in 8. edidit.

dit. Instituti eius ratio est, declarare, ipsius Scripturae Sacrae testimoniis probari omnia illa posse, quae in concilio Tridentino scitu credituque necessaria dicuntur. Non ita multo post autem eum huius instituti poenituit. Nouam enim *praxin orthodoxae fidei intra octidui exercitationem sacram discernendae et amplectendae* publici iuris fecit. Vbi ex instituto docet ex sola Scriptura sacra controuersias inter protestantes et catholicos finiri non posse. Tutissimum igitur esse ad veteris Ecclesiae sententiam confugere. conf. BVDDEVS l. c. p. 1273.

EPISTOLA XXXIII.

Leibnitii de vnione religionis pontificiae cum Lutherana cogitata.

AD cogitata Domini Abbatis Huisburgensis in scheda a Te consignata hoc obseruo.

Ad I. Etsi verum sit sine adprobatione summi Pontificis nihil posse constitui a Romana parte, possunt tamen praeliminariter tractationes haberi, & virorum doctorum ac piorum sententiae audiri, quemadmodum et apud nos, nisi consensu complurium Principum, nil fructuosi concludi potest.

Ad II. Aequum deinde est, non tantum, vt a nostrorum, sed et, vt ab ipsorum parte consilia capiantur paci faciliori reddendae.

Ad III. Principia constituenda essent, ex quibus agnosceretur, quid sit de fide vel non? Verendum etiam, ne quaedam apud ipsos putentur non esse de fide, aut etiam diuini juris, de quibus nostri aliter sentiant.

Ad IV. Nescio an ideo, quod scriptura non negat quosdam articulos a pontificia parte propositos, dicere liceat, negationem eorum extra

tra ſcripturam non credendam. Rationis enim eſt affirmanti incumbere probationem, et negandum, articulum fidei eſſe, niſi qui diuinitus reuelatus probetur.

Ad V. Concilium Tridentinum, vel profeſſio Pii IV., ſi bene memini, prouocat ad vnanimem conſenſum Patrum. (†) Is ſi haberetur, magni vtique foret momenti, praeſertim ſi id, quod ſentiunt, pro articulo fidei a ſe haberi oſtendant: ſed in iis, quae inter nos controuerſa ſunt, plerumque difficile eſt hunc vnanimem conſenſum probare, et ſaepe antiquiores in alia omnia eunt.

Ad VI. Quid de cauſis Eccleſiaſticis eſſet agendum vnione reddita facile conſtitui poſſet, nam pleraque circa hanc rem in Eccleſia Romana introducta ſunt iuris humani, ideoque varie ordinari poſſunt. Et conſtat, olim pro maxima parte in Imperatorum poteſtate fuiſſe, apud proteſtantes tamen a Conſiſtoriis tractari, quae ſunt iudicia Eccleſiaſtica, etſi ſub Principis autoritate, tamen nec ſine Eccleſiae interuentu. De tractatione Gallorum in aula Moguntina circa religionis negotia nil plane mihi compertum. Potius itaque ſuſpicionem quam compertam veritatem eſſe puto quae Domino Iablonskio ſunt ſcripta. Caeterum vt Reformati ferre non poſſunt, agi cum Pontificiis, ita hi viciſſim nolunt nobis rem eſſe cum Reformatis. Dominus Iablonskivs in ſuis ad me honorificam Tui mentionem facit, cui me calculum adiicere facile credes. Multa cogitantur et mouentur in rebus iſtis,

ſed pauca promouentur, quod ſcilicet non itur recta via, et pauci eorum, qui in auctoritate ſunt, rem ſerio tractant. Quod ſupereſt vale faueque. Dabam Guelfebyti 13. Dec. 1699.

(†) In profeſſione fidei Tridentinae n. III. dicitur: *Item Sacram Scripturam iuxta eum ſenſum, quem tenuit et tenet ſancta mater eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu et interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto, nec eam vnquam, niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum accipiam et interpretabor.*

EPISTOLA XXXIV.

Difficilis eſt cum Eccleſia Romana concordia.

Fateor, valde difficilem eſſe cum Eccleſia Romana concordiam, ſed impoſſibilem dicere non auſim, neque enim abbreuiata eſt manus Domini. Optandum eſſet, Pontificem Romanum non tantum non exigere infallibilitatis ſuae fidem, ſed etiam non adſtruere, imo ei renunciare diſerte. Sed hanc renunciationem ab ipſo neceſſario exigendam eſſe, dicere itidem non auſim. De Traditionibus optime notas, ne apud Pontificios quidem intelligentes aliud in illis niſi illuſtrationem ſcripturae circa fidei articulos quaeri. Itaque res redit ad principium ſecundarium Calixti. Sed quum vnanimem conſenſum Patrum ipſi exigant, non video quomodo purgatorium, et librorum, quos nos apocryphos vocamus, autoritatem, aliaque id genus tanquam creditu neceſſaria, praeſcribere poſſint, quae conſtat in antiqua Eccleſia pro certis habita non fuiſ-

ſe.

ſe. Vale. Dabam Hanouerae die Iouis 21. Dec. 1699.

EPISTOLA XXXV.

Veterum de Purgatorio ſententiae. II. Ex traditione apoſtolica purgatorium eſſe probari nequit.

I. Loca veterum de purgatorio pleraque olim excuſſi et reperi, ſententias, vt in re admodum problematica, valde variaſſe, et agnouit ipſe AVGVSTINVS problema eſſe. Magna pars ſtatuit ante judicii diem nec beatitudinem nec damnationem locum habere, exceptis martyribus vel aliis priuilegiatis. Origeniſtae ipſum infernum pro purgatorio habuere, idque quidam etiam probati autores videntur ſtatuiſſe, ſaltem reſpectu Chriſtianorum. Graeci quidam veteres ſingulare genus purgatorii docuere, quod ſolitus ſum appellare purgatorium reſurrectionis, nempe Chriſto in aduerſum raptos tranſire per ignem ibique ſcorias deponere. Sed purgatorium hodierno ſimile videtur apud Latinos potiſſimum inualuiſſe. (*)

II. Saltem certiſſimum eſt, pro purgatorio Romanae Eccleſiae nullam traditionem Apoſtolicam (quam articuli fidei poſtulant) poſſe oſtendi. Vnanimem conſenſum Patrum in interpretanda Scriptura poſtulat ipſa Profeſſio fidei Romanae Eccleſiae, eaque in re, ni fallor, ſecum ipſa pugnat. Quod ſupereſt pro voto beneuolo gratias ago, Deumque precor, vt tibi multos

multos det annos cum nouo isto faustos et felices. Dabam Hanou. 4. Ian. 1700.

(*) Quum LEIBNITIVS ea, quae de veteris ecclesiae doctorum de purgatorio sententiis obseruat, testimoniis comparis aetatis scriptorum non communiuerit; pace B. L. mihi liceat summatim recensere, quae ipse ex veterum scriptorum lectione huc facientia obseruaui, propterea quod ad firmandam LEIBNITII sententiam faciant.

Non dubium est, quin Patres communi consensu animae immortalitatem propugnarint. Et si quae supersunt dubitandi rationes; eas vir summe reuer. IOACHIMVS OPORINVS in *Historia*, quam meditatur, *critica doctrinae de natura et vita animorum perenni* remouere studebit. De ipso autem animarum post hanc vitam superstitum statu Patres in diuersas abeunt sententias. Vt de piorum animis principe loco disseram; existimant nonnulli, eas nulla aut exigua interposita mora ad beatitatem aeternam peruenire. Alii propugnant, eas per aliquod temporis spatium in loco intermedio viuere oportere. Et ad hos praecipue IVSTINVS Martyr referendus est, qui in *dialogo cum Tryphone Iudaeo* p. 20. edit. SAM. IEBBII Lond. 1719. ed., vbi de statu animae post mortem verba facit: *τὰς μεν*, inquit, *τῶν εὐσεβῶν ἐν κράττονί ποι χώρῳ μένειν, τὰς δὲ ἀδίκους καὶ πονηρὰς ἐν χείρονι, τὸν τῆς κρίσεως ἐκδεχομένας χρόνον τότε. Piae quidem in loco quodam meliore manent, iniustae vero et prauae in deteriore iudicii tempus exspectantes.* Idem propemodum IRENAEVS tuetur, qui libro V. contra haereses cap. XXXI. p. 331. ed. MASSVETI, exemplo CHRISTI, qui non statim a morte in coelum adscendit, dedita opera probare annititur, animas sanctorum non statim post mortem ad beatam aeternitatem adspirare. *Quum enim*, inquit, *Dominus in medio vmbrae mortis obierit, vbi animae mortuorum erant, post deinde corporaliter resurrexerit, et post resurrectionem assumptus est: manifestum est, quia et discipulorum eius, propter quos et haec operatus est Dominus, animae abibunt in inuisibilem locum, definitum eis a* DEO, *et ibi vsque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem: post recipientes corpora, et perfecte resurgentes,*

h. e.

h. e. corporaliter, quemadmodum et Dominus resurrexit; sic venient ad conspectum DEI. Non tamen de omnium, sed tantum de quorundam piorum animis ita sentire IRENAEVS videtur. Libro enim I. cap. X. p. 48. vbi de iis, quae post mortem euenient, disputat: Τοῖς δὲ δικαίοις, inquit, καὶ ὁσίοις, καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ τετηρηκόσι, καὶ ἐν τῇ ἀγάπῃ αὐτοῦ διαμεμενηκόσι, τοῖς ἀπ᾽ ἀρχῆς, τοῖς δὲ ἐκ μετανοίας, ζωὴν χαρισάμενος, ἀφθαρσίαν δωρήσηται, καὶ δόξαν αἰωνίαν περιποιήσῃ. f. ex interpretatione vetere; *iustis autem et aequis, et praecepta eius seruantibus, et in dilectione eius perseuerantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex poenitentia, vitam donans, incorruptelam loco muneris conferat, et claritatem aeternam circumdet.* Quibus quidem verbis docet nonnullorum pie defunctorum animas post mortem poenitentiam prius agere debere, quam quidem ad beatitatem aeternam perueniant, quorundam autem animas poenitentia amplius non indigere, et statim post mortem felicitatem summam consequi. Per horum animas procul dubio intelligit, et eorum, qui statim post baptismum diem suum obierunt, neque peccata post baptismum commiserunt, et martyrum, quibus numero multa priuilegia veteres Christiani concedebant, et quorum martyrio eadem cum baptismo vis tribuebatur atque efficacia. conf. HENRICI DODVVELLI dissertatio de priuilegiis martyrum, quae inter eius differt. Cyprianicas XII est. Simillima et maxima gemina cum IRENAEI opinionibus TERTVLLIANVS propugnat in libro *de Resurrectione corporis. Nemo*, inquit, *peregrinatus a corpore statim immoratur penes* DEVM, *nisi ex martyrii praerogatiua.* HIERONYMVS in eo a IVSTINO Martyre et IRENAEO dissentire videtur, quod in loco inter coelum et orcum intermedio poenas expiatorias locum inuenire contendit. Apolog. enim II. cap. 1. *Christiani*, inquit, *si in peccatis praeuenti fuerint, saluandi sunt post poenas.* AVGVSTINVS, quid de poenis expiatoriis post hanc vitam tolerandis statuendum sit? in medio relinquit. In libro de octo Dulcitii quaestionibus n. XIII. ed. Bened. T. VI. p. 128. vbi de purgatorio igne post hanc vitam tolerando verba facit: *Tale*, inquit, *etiam post hanc vitam fieri incredi-*

credibile non eſt, et vtrum ita ſit quaeri poteſt, et aut inueniri aut latere; nonnullos fideles, per ignem quemdam purgatorium, quanto magis minusue bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusue ſaluari.

Ad eorum claſſem, qui nulla aut exigua interpoſita mora ad beatitatem aeternam pios peruenire defendunt, multos veteris Eccleſiae doctores referendos eſſe, ipſe etiam IRENAEVS, licet ſecus de hac materia ſentiat, haud diffitetur. Lib. enim V. cap. XXXI. p. 330. dicit *quosdam ex his, qui putantur recte crediddiſſe* defendere animos pie defunctorum non ita multo poſt obitum in conſpectum DEI venire. Quum autem et hi defenderent, peccatorum radicem in omnibus piis prius extirpari debere, quam ad beatam aeternitatem peruenire queant, nonnulli ex iis fouerunt opinionem, per ignem tranſeundo hanc peccati labem abſtergi. Sic ORIGENES lib. VII. contra CELSVM p. 334. edit. GVIL. SPENCERI, quae Cantabrigiae CIↃIↃCLVIII. prodiit: *ἡ μὲν καθαρὰ*, inquit, (*ψυχὴ*) *καὶ μὴ βαρουμένη ὑπὸ τῶν τῆς κακίας μολιβδίδων, μετέωρος φέρεται ἐπὶ τοὺς τόπους τῶν καθαρωτέρων καὶ αἰθερίων σωμάτων, καταλιποῦσα τὰ τῇ δε παχέα σώματά καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς μιάσματα. quaecunque pura eſt* (*anima*) *nec malitiae quaſi plumbeis grauata globis, ſublimis euolat ad puriora loca aetheris, relictis craſſi corporis ſordibus.* Idem lib. VI. contra CELSVM p. 292. et multis aliis locis ignis beneficio homines poſt mortem a materia mala liberari propugnat.

Ordo requirit, vt de diuerſis, in quibus Patres de ſtatu animarum impiarum poſt mortem fuerunt, ſententiis diſſeram. IVSTINVM Martyrem defendere in deteriori quodam loco animas impiorum iudicii tempus exſpectare ex loco antea citato manifeſtum eſt. Eandem ſententiam procul dubio plerique Patres ſuam fecerunt, aut minimum propugnarunt, inter damnationem animarum impiarum ante corporis reſurrectionem et poſt eiusdem reſurrectionem maximam eſſe differentiam. Quorum huc facientia loca omnia recenſere meum nunc non patitur inſtitutum. Exponam potius quaenam inter Patres de duratione poenarum ab impiis tolerandarum fuerit diſſenſio. Poenas infernas finem habituras nullum praeter

ceteros

ceteros AVGVSTINVS tuetur, qui cap. XLIII. de Haeref. *Quis enim*, inquit, *catholicus Christianus vel doctus vel indoctus non vehementer exhorreat eam quam dicit* ORIGENES *malorum purgationem?* i. e. *etiam eos, qui hanc vitam in flagitiis et facinoribus, et sacrilegiis, et impietatibus, quamlibet maximis, finierunt, ipsum etiam postremo diabolum atque angelos eius, quamuis post longissima tempora purgatos, atque liberatos regno* DEI *lucique restitui?*

Contra non defuere etiam inter veteris ecclesiae doctores, qui aeternitatem poenarum infernarum vocarunt in dubium. IVSTINVS Martyr in dialogo cum Tryphone Iudaeo p. 20. et existentiae et cruciatibus animarum impiarum finem imminere videtur propugnare. Ἀλλὰ μὲν, inquit, οὐδὲ ἀποθνήσκειν φημὶ πάσας τὰς ψυχὰς ἐγώ. ἕρμαιον γὰρ ἦν ὡς ἀληθῶς τοῖς κακοῖς. ἀλλὰ τί; τὰς μὲν τῶν εὐσεβῶν ἐν κρείττονί ποι χώρῳ μένειν, τὰς δὲ ἀδίκους καὶ πονηρὰς ἐν χείρονι, τὸν τῆς κρίσεως ἐκδεχομένας χρόνον τότε. οὕτως αἱ μὲν ἄξιαι τοῦ Θεοῦ φανεῖσαι, οὐκ ἀποθνήσκουσιν ἔτι. αἱ δὲ κολάζονται ἐς τ' ἂν αὐτὰς καὶ εἶναι, καὶ κολάζεσθαι ὁ Θεὸς θέλῃ. *Verum enimuero non mori vniuersas animas affirmo, lucrosum namque hoc esset reuera malis. Quid igitur? Piae quidem in loco quodam meliore manent, iniustae vero et prauae in deteriore, iudicii tempus exspectantes. Hoc namque modo, quae dignae sunt, vt coram* DEO *appareant, non moriuntur amplius, illae autem excruciantur, quoad eas et esse et excruciari vult* DEVS. ORIGENES alia ratione poenarum infernarum defendit finem. Videlicet lib. VI. contra CELSVM p. 292. vbi de Gehenna loquitur: Εὑρίσκομεν, inquit, τι εἰς τὸν περὶ κολάσεως τόπον μεταλαμβανόμενον, εἰς τὴν μετὰ βασάνου κάθαρσιν τῶν τοιῶνδὶ ψυχῶν, κατὰ τὸ, Ἰδοὺ, κύριος εἰσπορεύεται ὡς πῦρ χωνευτηρίου, καὶ ὡς πόα πλυνόντων. καὶ καθιεῖται χωνεύων, καὶ καθαρίζων ὡς τὸ ἀργύριον καὶ τὸ χρυσίον· *inuenimus eum locum poenarum accipi pro tormentis animae purgatoriis, iuxta illud: Ecce Dominus venit vt ignis conflans, et herba fullonum; et sedebit conflans et emundans tamquam argentum et aurum.* Igni igitur vim tribuit purgandi homines a peccatis. Quae quidem sententia maximopere conspirat cum Platonicae recentioris Philosophiae

phiae principiis, quae maximi ORIGENES faciebat. Quis enim ignorat Platonicos crassiorem materiam omnis mali dixisse caussam; quae ignis beneficio a tenuiori et meliori possit discerni? Obseruari tamen h. l. merebitur ipsum ORIGENEM dubitasse; vtrum igni vero et proprio, an vero metaphorico cuidam, haec purgandi virtus sit adscribenda? Commemorabilis locus ORIGENIS hanc in rem extat lib. IV. contra CELSVM p. 168. Postquam enim inibi ex 1. Cor. III. docuit ligna, foenum, stipulam fundamento superstructam a DEO consumi tamquam ab igne, addit: εἰ δὲ ἄντικρυς τροπολογεῖται τὰ τοῦ φαύλου ἔργα, λεγόμενα εἶναι ξύλα ἢ χόρτος ἢ καλάμη· πῶς οὐκ αὐτόθεν προσπίπτει ποδαπὸν πῦρ παραλαμβάνεται, ἵνα τὰ τοιαῦτα ξύλα ἀναλωθῇ; *quodsi evidenter figurata est loquutio, dum mali hominis opera significantur lignorum, foeni stipularumque nomine: qui fit, vt non statim succurrat, quomodo ignis accipiendus sit, qui consumat ligna huiusmodi?*

Quemadmodum vero ORIGENES de poenis infernis ad vnum omnibus affirmat eas cessaturas; sic idem de poenis, quibus Christiani, vt peccatores proaeretici demortui, in inferno cruciabuntur, HIERONYMVS defendit. Apolog. II. cap. 1. vbi inter suam et ORIGENIS de salute creaturarum ratione praeditarum sententiam comparationem instituit: *Si,* inquit, ORIGENES *omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas et diabolo tribuit poenitentiam, quid ad nos? qui et diabolum et satellites eius omnesque impios et praeuaricatores dicimus perire perpetuo; et Christianos, si in peccatis praeuenti fuerint, saluandos esse post poenas.* Idem lib. I. aduersus Pelagianos cap. IX. tradit, poenas sempiternas diabolo et hominibus impiis, at iniquis et peccatorum reis temporales tantum destinari. *Impios* autem ab *iniquis* ita distinguit; vt per *impios* Paganos et Iudaeos, qui cognitionem CHRISTI non habent; per *iniquos* et peccatores Christianos peccantes intelligat. Hanc ipsam HIERONYMI opinionem iudaicum esse errorem, non sine ratione coniicit celeb. IO. CLERICVS Quaest. Hieronym. Quaest. VIII. §. XIX. p. 283. sq. Non desunt tamen etiam in doctrina Christiana seculi IV. et V. errores,

quibus

quibus recensitus HIERONYMI error firmatur. Qui CYPRIANI et AVGVSTINI de vnitate Ecclesiae libros legit; non ignorat plerorumque doctorum animos tum occupasse erroneam doctrinam: eum, qui membrum est ecclesiae visibilis, et membrum esse ecclesiae inuisibilis. Qui quidem error quantam cum HIERONYMI errore habeat cognationem, quis non intelligit?

EPISTOLA XXXVI.

Ier. Sterckii de consiliis irenicis relatio nullo fundamento nititur.

Mitto ecce excerptum ex litteris Domini STERKII Theologi Lausannensis, quod Dn. IABLONSKIVS Tibi communicari petit. Sed articuli illi pure sunt fictitii. Et quidem iam conficti olim tempore IO. PHILIPPI, et, quod rideas, BLVMIVS Consiliarius ad Papam ablegandus dudum obiit. Fuit enim Consiliarius eiusdem Io. PHILIPPI ante annos plusquam 40. Itaque hac de re securi esse possunt Domini Reformati, quos omnis suspicio nostri cum Pontificiis syncretismi male habet. Itaque apud illos ea merito vitanda, vbi certe longissime res a spe exitus abest. Vale. Dab. Hanou. 22. Ian. 1700.

EXCERPTVM EX EPIST. D. IER. STERCKII THEOLOGI LAVSANN. AD. D. E. I. DIE XIX. DEC. CIƆIƆCXCIX. DATA.

HYBERVILLIVS Regis Galliarum nomine apud Archiepisc. Mog. Residens vnionis negotio etiamnum insudare dicitur. Licet vero ne minima quidem mihi saltem veri species appareat, septendecim ab illo Rom. Eccl. praesule ineundi cum Lutheranis syncretismi articulos,

vel ab illo proponi bona fide, vel ab his vnquam admiſſum iri: nihilo tamen ſecius cum Landgrauium Darmſtatenſem aliosque ſuas in partes a ſe iam pertractos gloriatur. Quare etiam ſtatim atque illorum articulorum ab amica quadam ſecretaque manu ante ſemeſtre, & quod excurrit, copia mihi facta eſt, in procinctu fui illos Tibi mittendi, ſimulque de Conſiliarii BLVMII ad Rom. Pontific. ablegatione reddere certiorem, vt cum ſapientiſſimis proceribus communicares, nec aliud me a propoſito absterruit, quam cogitatio, quod tam perſpicax aula, qualis veſtra eſt, conſilia eiusmodi nullatenus ignorat, meque proinde eidem ridendum praeberem, ſi priuatus ego homuncio tale quid eam docere ſuſciperem.

EPISTOLA XXXVII.

I. *Doctrina de purgatorio non eſt articulus fidei.* II. *Benthemius laudatur.*

I. In articulis fidei praeſumtio eſt magna, contra id, quod probari non poteſt; nec eſt neceſſe, vt noſtri foueant articulos negatiuos, qualis eſt, purgatorium eſſe falſum. Sufficit negari purgatorium eſſe articulum fidei, et quoad hoc, purgatorii opinionem inſtar falſae haberi, donec probetur. De caetero ego ipſe non auſim jurare, nihil dari purgatorio analogum. De ſtatu enim animarum medio res eſt obſcura, nec ſatis a Deo reuelata, et circa purgatorium certiſſimum eſt vnanimem Patrum conſenſum, qualem VINCENTIVS LE-

RI-

RINENSIS Monachus (*) poſtulat, haberi non poſſe. Caeterum vereor, ne illa de articulis negatiuis poſtulatio abeat in litigioſitatem parum profuturam. Magis e re Catholicorum foret, apud nos non teneri articulos fidei, cur ergo obtrudunt?

II. Magnas ago gratias pro Dn. BENTHEMII libello docto ſane et eleganter ſcripto, ſed paulo rigidiore. Inuenio praeterea eum non ſatis exponere mentem ſuam. Nam quum velit iudicium ſuum tantummodo ad eos, quos vocat puros putos Caluiniſtas, pertinere, non explicat, quid de Anglicanis aut Brandeburgicis, et vt verbo dicam, Vniuerſaliſtis et ſimilibus ſentiat, an ſaltem cum eis vnionem locum habere arbitretur. Vale faueque Dabam. Hanou. 2. Febr. 1700.

(*) VINCENTIVS LERINENSIS in Commonitorio cap. XXXIX. p. 260. *Eorum*, inquit, *duntaxat Patrum ſententiae conferendae ſunt, qui in fide et communione catholica ſancte, ſapienter, conſtanter viuentes, docentes et permanentes, vel mori in* CHRISTO *fideliter, vel occidi pro* CHRISTO *feliciter, meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum eſt, vt quidquid vel omnes, vel plures vno eodemque ſenſu manifeſte, frequenter, perſeueranter, velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmauerint; id pro indubitato, certo ratoque habeatur, quidquid vero, quamuis ille ſanctus et doctus, quamuis Epiſcopus, quamuis confeſſor et martyr, praeter omnes aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias et occultas et priuatas opiniunculas a communis publicae ac generalis ſententiae auctoritate ſecretum ſit; nec cum ſummo aeternae ſalutis periculo, iuxta ſacrilegam haereticorum et ſchiſmaticorum conſuetudinem, vniuerſalis dogmatis veritate dimiſſa, vnius hominis nouitium ſectemur errorem.*

EPISTOLA XXXVIII.

I. *Leibnitius de obitu filiae Fabricium consolatur.* II. *De Verini et Anti-Verini controuersiis disserit.*

I. Non fine magno meo dolore intellexi maximum, vt aestimare licet, Tuum, qui vnicam gnatam perdidisti. Sed ea sapientia es, animique constantia, ut ferre eum possis, gnarus humanorum casuum, quibus etiam maximi quique obnoxii sunt, gnarus etiam nec morte quicquam nisi in speciem perire, nec a supremo rerum autore nisi optima proficisci, etsi nobis rerum cortices intuentibus hoc manifestum esse non possit.

II. Diu est, quod nil amplius, vel de Verino vel Anti-Verino intellexi, neque Dn. IABLONSKIVS etsi ad alia responderit, de his sententiam suam dixit. Mallem ego, siluissent ambo. Quod superest vale faueque. Dabam Hanou. die Veneris 2. April. 1700.

EPISTOLA XXXIX.

I. *Societas scientiarum Berolinensis fundatur.* II. *De Sculteti cum Picteto et Sterckio disputatione.*

I. Tuas Domino IABLONSKIO nostro rite reddidi, qui Te ex merito colit. Respondisse aut responsurum non dubito. Id agitur apud Serenissimum Electorem Brandenburgicum, vt fundetur societas scientiarum cum obseruatorio et reliquo apparatu. Id quo fiat commodius, cum aliorum, tum mea audiuntur consilia. Ea res me magis hic tenet, quam solennis

lennis pompa nuptiarum, quae nunc apparantur, sponso heri vrbem magno et splendido curruum, equorum, hominum conductu ingresso, atque ita excepto, vt nil ad regiam magnificentiam desit.

II. Communicauit Dn. IABLONSKIVS nonnulla mecum, quae SCVLTETVS Hamburgensis cum PICTETO et STERKIO Heluetiis vel scriptis editis vel per literas disputat, alendo, ni fallor, bello, quam componendo aptiora, vt caetera pleraque quae nunc fiunt. Nec tamen aliquando meliora despero. Si quid ad me mittes id ad IABLONSKIVM quaeso cures. Audeo autem a Te beneficium petere, quod impetrabile vt sperem facit Tua benignitas. Nempe quum literae nonnullae Hanouera tardius, quam par sit, ad me perferantur, nonnullae etiam plane emanserint, quae per vecturam Magdeburgicam ad me mitti debebant, ideo scripsi Hanoueram, vt nonnulla per vecturam mittenda sub operculo destinentur ad Te; quae deinde sub alio operculo, quod Dn. IABLONSKIO sit inscriptum, Berolinum a Te destinentur. Video enim nescio quid transmissionem solis postarum Magistris commissam turbare. Nuptiae Principis Hassiaci cum filia electoris Brandenburgici, perendie, i.e. die Lunae, celebrabuntur. Castellani heri magna cum pompa vrbem sunt ingressi, splendideque excepti. Quod superest vale faueque. Dabam Berolini 24. Maii 1700.

EPISTOLA XL.

Solennitatibus non delectatur Leibnitius.

Ignosce quod toties Te interpello. Quum nuperrime hinc discesserit Dn. M. WAGNERVS, rogo, vt has, quae post abitum eius aduenere ad ipsum transmitti cures. Me hic fere occupant solemnia, quibus subinde vt intersim oportet, non tam voluptatis meae, quam honoris gratia, et ne videar officio deesse. Videbo an praesente Serenissimo Landgrafio materia, quam nosti, attingi possit. De litibus inter ITTIGIVM et RECHENBERGIVM plura Tibi nota puto, quam mihi. Vellem iis carere. Quod superest vale faueque. Dabam Berolini 1. Iun. 1700.

EPISTOLA XLI.

I. Abbatia Lothariensis concredita Fabricio. II. De eruditis Noricis et III. Berolinensi Societate.

I. Gaudens (vti iam per Dominum Abbatem SCHMIDIVM testatus sum) ex ipsius Serenissimi Ducis ANTHONII VLRICI ore intellexi, Abbatiam Lothariensem Tibi pactam esse. Interfuit non tua tantum, sed et facultatis Theologicae, ipsiusque Vniuersitatis integrae, ne tanto ornamento priuarentur. Effectum ipsum mox sequuturum non dubito: interea gratulor ex animo, et gratias ago, quod me successus participem fecisti.

II. Quid faciunt eruditi Norici? scio enim in urbe Tua patria multos esse viros doctri-

nae non vulgaris, ſed et Altorffii ſubinde geruntur, quae in litterarum incrementum vel ornamenta cedant. Aiunt etiam eſſe apud vos illic, qui rem nummariam veterum pulchre excolant. De Triumuiris Calendariis diu eſt quod nil mihi eſt auditum, dum ſc. in itineribus verſor alia potius omnia cogitaui.

III. Berolinenſes noſtri feſtinant lente, ſpero tamen locum habiturum prouerbium Italorum: chi va piano, va ſano. Quod ſupereſt vale et faue. Dabam Guelfeb. 15. Febr. 1701.

EPISTOLA XLII.

I. *Burnetus ad Leibnitium litteras dedit.* II. *Iablonskii verſio articuli de Praedeſtinatione laudatur.*

I. Etiam atque etiam peto, ne in malam accipias partem, quod toties ſum oneri literis. Rogo notari expenſas, nam indubitate reſtituentur. Significa quaeſo, quando Abbatis titulum recipias, vt ego faciam quod decet. Legi, quae Dn. BVRNETVS, Epiſcopus Sarisburienſis ſcripſit, nam liber ipſe miſſu eius ad me peruenit.

II. Dn. IABLONSKII verſio articuli de praedeſtinatione perpulchra eſt. Interea ego inter legendum multa notaui, quae vberius eſſent explicanda. Vale faueque Dabam. Hanou. 11. April. 1701.

P.S. Gratias ago pro communicato ANDRADIO, et rogo, vt meo nomine eas etiam agas Dn. praepoſito HARDTIO.

EPISTOLA XLIII.

I. *Leibnitius de Abbatis dignitate Fabricio gratulatur.* II. *De commodis Academiae Iuliae prouehendis.* III. *De Kiskeri epistolis irenicis.*

Iam tandem possessionem Abbatiae Regiae Lotheranae a te captam puto. Itaque gratulatus ex animo Deum precor, vt diu honore hoc Tu et Respublica, atque Ecclesia Te fruatur. Gratulor & alterius generis gratissimam paternitatem, si nondum feci, et opto, vt inde aliquando plurimum gaudii capias. In eo sum, vt eam Guelfebytum, itaque si quod imposterum me voles, mitte quaeso ad Dn. Polichium Magistrum postae domus Brunsuicensis in vrbe cognomine, rogoque vt seruet donec ego significem, quorsum mitti velim. Vel enim ipse transiens Brunsuiga accipiam, vel Guelfebytum mitti iubebo.

II. Ecce argumentum de quo et ad Dn. Abbatem SCHMIDIVM scribo. Loquutus sum subinde apud eos, ad quos pertinet, de Academiae Vestrae statu. Et video esse aliquam inclinationem ad cogitandum de medela. Ego duo inprimis velim: 1) Edictum aliquando proponi, vt saltem omnes Theologiae Studiosi, qui velint in his regionibus promoueri in scholis, Academiis aut Ecclesiis biennio minimum studiis in vestra Iulia dent operam. 2) Tolli discrimina publica et indecora inter Academicos diuersae mensae. De his desidero a vobis duobus communi cura cogitari, et sententiam vestram priuatam ad me perscribi,

qui

qui videbo an iuuare possim, vt tandem aliquem exitum sortiatur. Interea vale faueque. Dabam Hanouerae 29. April. 1701.

P. S. Oblitus sum dicere librum ROM. FORGERIES mihi esse ignotum. Epistolas Irenicas quas Dominus IABLONSKIVS desiderat, hinc opinor acceperis eique vel miseris, vel significaueris missu dignas non esse, mihi enim videntur valde ieiunae. Rintelensis quidam Prof. KISKER dicitur autor epistolae saltem primae. Interpres Gallus est minister Hamelensis Gallicus dictus, credo la porte.

EPISTOLA XLIV.

Leibnitius culcitras vento inflatas desiderat.

Spero Te valere ex sententia, et memini quantum sim Tibi obstrictus, quod etiam expendisti quaedam, quae refundere non omittam. Nunc aliquid simile a Te petere audeo. Intellexi esse Noribergae artifices, qui faciant culcitras maiores minoresue lectis maxime inseruientes ex corio quod sit vento inflatum. Itaque discere velim, an impetrari inde possint tales culcitrae, et quidem quae 24. circiter horis pondus impositum sustinere possint, vt tamen ventum non amittant, et mox denuo inflatae in bonitate perstent, et quanti constent? Malim talem culcitram paulo majorem iusta. Et si certo constat hoc in se recipere artificem, mitterentur mensurae. Quod superest rogo, vt hunc fauorem prioribus addas, et Tibi persuadeas, me nunquam officio vicissim Te demeren-

merendi defuturum. Vale faueque Dab. Hanouerae 26. Iul. 1701.

EPISTOLA XLV.

I. *De commodis Acad. Helmstadiensis prouehendis.* II. *De excerptis menstruis Hanoueranis.*

I. Multum Tibi et coniunctissimo collegae Tuo Dn. Abbati SCHMIDIO debeo, quod monita vestra transmisistis, quorum vt ratio habeatur, quantum in me erit, curabo. Primum de biennio Helmstadiensi edictum vrgebo, huic annectetur puto clausula generalis: cogitatum iri de tollendis iis, quae iuuenes illo loco absterrere possunt, et contrariis promouendis. Ea res deinde ad vestra illa aditum dabit.

II. Excerpta illa menstrua adiuuo quidem, et subinde communico nonnulla pro iis, et dum domi sum reuideo. Mea tamen dici nolim, quum temporis tantum superesse mihi nequeat. Quod superest vale faueque. Dabam Guelfebyti. 13. Mai. 1701.

EPISTOLA XLVI.

I. *Societatis scientiarum Berolinienſis institutum.* II. *Rei irenicae status.* III. *Leibnitius se iuuenum egregiae spei patronum futurum sponte declarat.*

I. Binas Tuas accepi, et gratias ago, quas debeo. Has, quas inclusi, pro Dn. WEDELIO, remitto, qui quis sit ignoro; is Crenianas animaduersiones ad me mittit. Fundatio societatis scientiarum non male procedit, cultum-

cultumque etiam rei linguaeque Germanicae et bonarum literarum complectetur.

II. De irenicis nihil actum, et fatendum est, rebus in septentrione turbatis, quiduis potius agitari.

III. Ego vellem, dari iam mihi notitiam insignium virorum et egregiae spei iuuenum, qui ad praeclara animari possint, neque enim praemia deerunt aliquod eximium praestantibus. Vale faueque. Dabam Berol. 26. Iun. 1700.

EPISTOLA XLVII.

I. *Leibnitius culcitram vento inflatam desiderat.* II. *De Burneti in 39. articulos commentario.*

I. Mensuram culcitrae mitto, filum longius longitudinem, alterum latitudinem significat. Sumsi tam longum, vt duo insidere simul possint, quo melius constet, perstare ad pondus neque ventum amittere nisi paulatim fortasse, sed ita tamen sese habere oportet, vt, vento per Syringa rursus immisso, ad pristinum redeat, neque deterius sit quam ante. Haec ergo experimento erunt comprobanda accurato, antequam exsoluatur pecunia. Quum autem transmittetur (per Noribergensem puto Tabellarium, qui Brunsuigae transit) emittetur ventus, ne tumere appareat, et quid sit agnoscatur, atque ita munietur, ne recipere damnum in transmissione possit.

II. Exspectamus legationem Anglicanam, et cras fortasse aderit comitatus legati et in eo Capellanus. Librum accepi non malum, cui titu-

titulus; Moderation of the Church of England. Liber Episcopi Sarisberiensis in 39. Ecclesiae Anglicanae articulos, a quibusdam ex Clero minore impugnatus est, tanquam iusto laxior, sed Episcopi pro ipso stetere. Ita homines male consulti improbant, quod maxime laudi ducendum est, non includere Ecclesiam finibus arctioribus quam est necesse. Quod superest vale et faue. Dabam Hanouerae 1. August 1701.

EPISTOLA XLVIII.

De Societatis Berolinensis futuris membris.

Multas adhuc debeo gratias agoque pro illa beneuolentissima humanitate, qua me coram es complexus. Patere, vt in memoriam Tibi reuocem, quae coram nobis placuere, nempe vt quasi Tuapte sponte maxime reuerendos Praelatos Hamerslebensem et Huisburgensem inducas, quo ostendant gratum sibi, posse nomina dare Brandenburgicae scientiarum societati. Vale et faue. Dabam Guelf.

P. S. Maxime Reuerendo Domino Hardtio salutem a me dici peto. Erit et ille noster. Itaque si quae conferre poteritis, quum in publicum redundent, spero vos non omissuros.

EPISTOLA XLIX.

Fabricius Societatis Berolinensis socius declaratur.

Eo res deducta est in noua Regia Scientiarum

rum ſocietate Berolini condita, vt concilio habito aliquot egregii viri Collegae et ſocii appellarentur. Inter quos tuum relatum eſt nomen iure meritoque, mihique id negotii datum, vt ad Te diploma deferri curarim, quod nunc mitto; Deumque rogo, faxit vt Tibi id decus, nobis vero ac reipublicae bonisque litteris emolumentum ſit diuturnum. Vale ac faue. Dabam Hanouerae d. 8. Sept. 1701.

EPISTOLA L.

Noua litteraria.

I. Tuae ad nouam Regiam ſocietatem recte ſunt allatae, et fuere gratiſſimae. Scribet Tibi credo Dn. Secretarius IABLONSKIVS et idem teſtabitur. Nec dubitamus ſubinde aliquid ex Te profuturum diſcere eorum, quae a Te aut amicis Tuis ſuppeditabuntur. Rex ſe fauere ſocietati multis erga me oſtendit.

II. Negotium miſſionum Euangelicarum in partes remotas ſtrenue vrgetur, et ſpero, Deo dante, non defore ſucceſſum.

III. Medicis etiam per prouincias mandata dabuntur, vt ſuppeditent obſeruationes meteorologico-Epidemicas. Calendarium etiam dabitur pro anno ſequenti, in quo tempeſtates anni praecedentis. Ego mox reditum paro, duae tamen fere ſeptimanae hic adhuc effluent. Gratum erit intelligere, quae monebis in rem noſtram, vt respublica litteraria incrementa per nos capiat. Quod ſupereſt vale et faue. Dabam Berolini d. 8. Nou. 1701.

EPI-

EPISTOLA LI.

Status negotii irenici.

Literae Tuae apud ſocietatem Regiam fuere acceptiſſimae, et quae proponis agenda reipublicae literariae cauſſa digna quae conſiderentur et aliquando in rem conferantur. Res irenica hic non plane negligitur, de qua aliquando coram pluribus. Vellem etiam Tui, prout par eſt, rationem fuiſſe habitam, ſed abſenti mihi et diſtracto quid factum non conſtat. Nam me Regina hic detinet gratioſiſſime, cum qua ſpero domum reuerti. Annum ineuntem cum multis ſequuturis Tibi in rem Tuam, Tuorum et publicam fauſtum et felicem precor. Vale et faue. Dabam Berolini 27. Decembr. 1701.

EPISTOLA LII.

Rei irenici ſtatus.

Diu abſens Hanoueram tandem cum Regina redii. Puto me Tuis omnibus reſpondiſſe. Excutiam tamen ſchedas, vt videam an reſtet cui reſponſum debeatur. De irenicis multum et ſaepe loquuti ſumus Berolini, ſed eorum, ad quos eae res pertinent, animi longe aliis diſtrahuntur, nec tamen omnino deſerta res eſt, Rege ipſo inclinatum huc animum erga me oſtendente. Ecce quae ad Te Dn. IABLONSKIVS. Vale et faue. Dabam Hanouerae 26. Ian. 1702.

EPISTOLA LIII.

I. Responsum Ienense de Pietistarum nomine laudatur. II. *Negotii irenici obstacula quaenam?* III. *Noua litteraria.*

I. Responsum Ienense contra eos, qui alios pietistarum nomine diffamant, non malum est. Interim nec is probatur, qui ideo publicos coetus vitat, ne talia audire cogatur.

II. Iudicium hominis Romanae Ecclesiae addicti in Polonia, quo reconciliationis cum protestantibus impossibilitatem tuetur, videtur mihi directum contra colloquium Toruniense sub VLADISLAO Rege atque illo tempore editum, nunc recusum. Tria impossibilitatem facere putat: regimen Ecclesiae, missas solitarias, cultum sanctorum et imaginum. Sed regimen monarchicum admitti potest, temperatum, vt ab ipsis fit pontificiis, missae solitariae tolerari possunt. Vnus cultus est, qui maxime emendationem postulat, quam sane ipsi prudentiores inter Pontificios optant. Caeterum iudicium illud elegantius scriptum est, quam hodie solet.

III. Interim pro communicato hoc scripto gratias ago et pro Grammatica Regia, quae non plane videtur inepta. Sic vidi a quodam concinnatam Theologiam Principum, vbi quis ex catechesi aut scriptura sacra respondet, quae tempori praesenti congruunt. Bibliotheca Academica, vt video, opera Dn. Praepositi HARDTII insignia capiet incrementa, quod mihi est gratissimum, et cedet spero

in

in ipſius Academiae incrementum. Rectius ita facit Sereniſſimus Dux RVDOLPHVS AVGVSTVS, quam ſi libros ſuos per varia loca diſpergat, minore laude ſua et in publicum fructu. Nihil ne ab aliquo tempore didiciſti ab amicis Tibi et vicinis Abbatibus pontificiis? Quod ſupereſt vale faueque. Dabam Brunsu. 14. Febr. 1702.

(*) Quum Pontificii doctores in Concilio Tridentino Seſſ. XXII. can. I. et III. p. 159. edit. Patau. CIƆIƆCCXXII. defendant; in miſſa *a ſacerdote* DEO *offerri verum et proprium ſacrificium propitiatorium, quod non ſoli proſit ſumenti, ſed et aliis viuis atque defunctis pro peccatis, poenis, ſatisfactionibus, et aliis neceſſitatibus:* ex rei veritate pii confeſſores noſtri in artic. Smalcald. p. 306. propugnant, quod miſſa pontificia, quocunque nomine veniat, directe pugnet cum primario articulo, qui affirmat non miſſificum ſacerdotem, ſed agnum DEI et filium DEI tollere peccata noſtra. Quam in rem p. 307. profitentur: *Etſi poſſibile eſſet, vt omnes reliquos articulos nobis concederent* (pontificii), *tamen hunc concedere non poterunt, quemadmodum* CAMPEGIVS *Auguſtae dixit, ſe prius omnia tormenta, membrorum dilaniationem et mortem paſſurum, quam Miſſam miſſam facturum eſſe. Et ego etiam per* DEI *opem in cineres corpus meum redigi et concremari patiar prius, quam vt Miſſarium ventrem, vel bonum vel malum, aequipararari* CHRISTO IESV, *Domino et Seruatori meo, aut eo ſuperiorem eſſe feram. Sic ſcilicet in aeternum diſiungimur, et contrarii inuicem ſumus.*

EPISTOLA LIV.

I. *Fabricius detractat lautius munus.* II. *De Sculteti et Picteti controuerſiis.*

I. Non poſſum non laudare tuam moderationem animi, quod ſtationem praeſentem

tem magis lautae praefers. Vtinam is nunc esset Aulae Guelfebytanae status, vt commendari ea virtus Tua, et praemio aliquo condigno, quale est munus Consiliariatus Ecclesiastici, honorari posset. Vellem ad oblatum Tibi munus commendari posset aliquis Tui similis doctrina et moderatione, sed quam pauci illi!

II. Lites, vt video, inter SEVERINVM, SCVLTETVM, PICTETVMque, etiamnum reciprocantur, quibus nunc immistus est STRIMESIVS. Nosse velim, de eorum controuersia quid iudices? Mihi enim nunc satis examinare non licet. Quod superest vale faueque. Dabam Hanouerae 9. Maii. 1702.

EPISTOLA LV.

I. *De Societate Berolinensi.* II. *Libri, cuius index: ciuitas sapientum adumbrata auctor quis?* III. *Docendi pruritus.* IV. *Strimesii scripta laudantur.*

I. Casu factum est, vt epistola quaedam Tua mihi occurrerit in massa schedarum, vnde dubito, an responderim et omissionis veniam obnixe peto. Quum res societatis Regiae scientiarum paulo procedant lentius, nondum structo aedificio, quod conuentus moratur, ideo nunc in membris asciscendis caeterisque deliberationibus vix quicquam agitur. Dn. BENTHEMI, viri sane egregie docti, vbi primum occasio, rationem habebo.

II. Scriptum, cui titulus: Ciuitas sapientum adumbrata, non vidi. Suspicor, esse profectum

a Barone BENEDICTO SKYTTIO, Suecici regni Senatore, qui, quum esset in exilio, talia moliebatur; et ciuitatem illam Heliosophopolin adpellabat, credo in ciuitate solis CAMPANELLAE exstruendam.

III. De M. ODELEM nihil unquam videram nec audieram. Iuuenes multi hodie malunt docere ante quam discere, et nouitate sententiarum famam imprudenter captant.

IV. Clariss. STRIMESII scripta mihi inprimis placent, et videmur iis, quae de sanctorum perseuerantia docet, contenti esse posse, vt verear, ne Dn. SCVLTETVS nodum in scirpo quaerat. Tuum tamen iudicium de Strimesianis audire malim. Quod superest vale faueque. Dabam Luzenburgi in palatio Reginae prope Berolinum 14. Octobr. 1702.

P. S. Vbi dies aestiui cessabunt, Regina Berolinum repetet, ego vero Hanoueram.

EPISTOLA LVI.

De re irenica.

Morbo impeditus in Reginae comitatu, vt constitueram, Hanoueram redire non potui: nec dum plane ad officium rediit corpus, etsi redierint adpetitus, somnus, vires, quare differo iter, donec spirent aurae mitiores, quarum mox appetet tempus. Ex Dn. IABLONSKIO nostro intellexi, moliri Te opus, quo controuersiae cum Pontificiis et Reformatis moderate exponentur. An non praestaret praemitti Reformatos, seiungi pontificios, at-

que

que opere peculiari tractari. Sed tuum de Tuis iudicium valere debet. Res irenica quantum apparet vbique haeret, dum aliae curae alia ſtudia agitant aulas, vtinam ſemper qualia poſtulat publica ſalus. Si quid tamen Tibi cogitatum intellectum, ſemper mihi gratum erit. De munere Conſiliarii eccleſiaſtici gratulor, ita et locum Tuum et merita decebat. Quis quaeſo FISCHERO Rigae ſucceſſit? Hic nuper Berolini egit, et forte adhuc adeſt. MVLLERVM in praepoſitura praedeceſſorem pepulit parum ſecunda fama, ambiguisque hominum iudiciis. Lauſannenſis Theologus STERKIVS, qui cum SCVLTETO diu diſceptauit per litteras, nunc Berolini degit, et credo alicubi officio admouebitur. Sed mihi et ſcripta eius legenti et de iis cum ipſo conferenti viſus eſt non ſatis Irenicus. Quod ſupereſt vale faueque. Dabam Berolini 20. Mart. 1703.

EPISTOLA LVII.

I. *Collegium irenicum a Boruſſiae Rege conſtitutum.* II. *Conſilia irenica non ſtatim publicanda.* III. *De Praeſentia ſubſtantiali et ſupernaturali obſeruatio.*

I. Quum primum Hanoueram diuino beneficio ſaluus redii ab incomparabili Theologo Abbate MOLANO noſtro accepi praeclaram commentationem Tuam de controuerſiis, quae Euangelicis Reformatisque intercedunt. Magna cum voluptate nec minore cum fructu legi, et opportune inprimis accidiſſe pu-

to, vt abſolueres hanc doctrinam, quum maxime eius vſus erit. Scito enim ab auguſto Pruſſorum Rege tandem inſtitutum eſſe collegium Irenicum, in quo conſilia Pacis ſacrae agitarentur, Praeſide VRSINO Epiſcopo, Aſſeſſoribus a Reformata parte IABLONSKIO et STRIMESIO, a noſtra LVTKIO et WINCKLERO, Theologis omnibus; ſed et conſtitutum eſſe, vt cum Domino Abbate Luccenſi, Teque etiam et celeberrimo Domino Abbate SCHMIDIO ſubinde conſilia communicentur, qua in re fortaſſe mea quoque aliquando opera interueniet, et ſi ſim ἐκ τῶν ἔξω. Ita vides reſumtum iri priſtina conſilia.

II. Quum vero noſtrae meditationes, quae vobis quoque duobus placuere, ſub fide ſilentii communicatae fuerint, Berolinenſibus et materiam negotiationis ſint daturae, facile pro prudentia Tua iudicas, conſultius fore, vt ne intempeſtiue edantur, dum ſpes eſt aliquid confici poſſe tractando. Nam ſi ea decollauerit, ſuaſerim ipſe quoque conſeruari typis publicis in vſum poſteritatis: nunc vero, ſi producimus in publicam lucem, primum perit cogitationibus pondus ac momentum arcanae deliberationis, deinde irritabuntur crabrones ingeniorum Eriſticorum, vt agmina aduerſariorum paulatim conſurgent, et fortaſſe, qui poterant paulatim acquiri nobis, dum ipſis communicationis priuatae honor habebitur, praeueniri ſe aliorum violentia patientur, difficili regreſſu, vbi quis ſemel publice ſententiae ſuae obſides libros dedit. Praeterea, qui facilius

lius assentientur nouae corporis notioni, dum nonnisi philosophicos vsus intuebuntur, haerebunt ac recalcitrabunt; quum ad Theologicos adhiberi videbunt. Et meo iudicio maiore fructu ac dignitate Tu quoque interuenies, si Tua seriis consiliis seruabis; differesque illa profundiora ac magis recondita, donec successu ipso comprobentur, aut donec eo res redierit, vt nihil publicando spei decedat iam deploratae. Haec etiam Dn. Abbatis Luccensis pronissima sententia est, praesertim postquam Irenes Berolinensis statum intellexit. Acta sunt haec ibi, ex quo Tibi consulenti, quid primum dares, de Reformatorum conciliatione in edendo praeferenda scripsi, procrastinationem potius suasurus; si praeuidissem quod successit. Interim pulcerrimo apparatu rem Irenicam auxisti, in quo vt pergas est cur optemus.

III. Vnum obseruo in scripto Tuo, quo magis a me studiose lectum intelligas, quum ex meis quibusdam schedis et ex literis ad PELISSONIVM annotare dignatus es p. 23. quae de praesentia substantiali sed supernaturali dixi, et CONRADI BERGII quaedam parallela adduxisti, non me omnino probare, quod ille negat praesentiam hoc loco in indistantia collocandam: nam etsi id de praesentia ciuili recte dicatur, eam esse coniunctionem, per quam sufficienter sentias obiectum et in promtu habeas ad operandum, quo sensu praesentior mihi est remotior, sed in eodem conclaui, quam propior, sed in alio, pariete a nobis, vel a me di-

uiſo; hic tamen quum de manducatione ſubſtantiali agatur, requiri puto indiſtantiam; quae conſiſtit in immediata ſubſtantiae operatione atque applicatione. Hoc enim intereſt inter praeſentiam per efficaciam et per ſubſtantiam, quod poſterior eſt immediata applicatio ipſius potentiae primitiuae tam actiuae quam paſſiuae, prior vero non item. Equidem omnis praeſentia ſubſtantiae ſimul eſt praeſentia efficaciae, ſed non contra, et quum praeſentia efficaciae opponitur praeſentiae per indiſtantiam, ſimul opponitur praeſentiae per indiſtantiam Haec monenda putaui, ne illi Theologi noſtri, qui celebre ſuum ἀδιαστάτως ſanctum inuiolatumque tueri conſtituerunt, ambigua explicatione turbentur. Quum diu extra commercium litterarium fuerim, partim ob valetudinem, partim ob alia impedimenta, gratiſſimum erit, ſi Tuo beneficio in gratiam paullatim magis magisque redeam cum republica litteraria, doceasque, quae in ea gerantur. Quod ſupereſt vale, faueque mihi, quod facis. Dabam Hanou. 14. Iun. 1703.

(*) LVTKIVS poſt primum conuentum grauibus argumentis permotus Collegio Irenico amplius intereſſe noluit. conf. EIVS *Chriſtliche und unmaßgebliche Gedancken über die Vereinigung der beyden Proteſtirenden Kirchen*, 1703. editae.

EPISTOLA LVIII.

De rebus Germaniae ſuperioris.

Spero collegium Irenicum non prorſus inutile

le

le fore, et tuam quoque praeclaram operam acceſſuram. Res Germaniae ſuperioris in miſero ſunt ſtatu, culpa non tam ſuperiorum Germanorum, quam reliquorum, quos, Vlma et Memminga captis, non minus euigilare opus erat, quam ſi Hannibal cuique ad proprias portas eſſet; ſed fatali torpore quisque tantillum a diſcrimine adhuc remotus, res patrias tanquam alienas habet, quo nil fingi poteſt indignius. Dabam Hanou. 3. Iul. 1703.

EXCERPTA EX EPISTOLA LIX.

De Arcano Regio Leibnitii et Molani iudicium.

Mirati ſumus ambo (LEIBNITIVS videlicet et Abbas MOLANVS) audaciſſimas et informes plane (autoris ſcilicet Arcani Regii) ſuggeſtiones. Nam ego Berolini videre neglexeram. Intereſt graui reſponſo oſtendi inconuenientiam propoſitionum, et tamen ita, vt beneuolentia Regis conſeruetur, et fortaſſe inſeruire ea res poteſt, vt homo negotio ineptus, a collegio Irenico excludatur, nam et collegas parum eius paradoxa probare ſcio. Magni refert vos prudenti et graui reſponſo oſtendere, auctorem arcani eſſe hominem audacem, periculoſum quieti Eccleſiae et Reipublicae, et imprudentem, violentum, affectibus indulgentem, nec a calumniis abhorrentem, denique egregium ſpecimen turbonis ſacri. Hanou. 30. Iul. 1703.

P. S. *Das ſo genannte* Arcanum *ſoll* Irenicum *ſeyn: man könte aber wohl ſagen, daſs*

an statt den Frieden zu befördern, es sey ein classicum belli sacri inter Euangelicos, *und nicht wohl leicht etwas, so unsern Feinden, den hitzigen Papisten, angenehmer aufs Tapet kommen könne.*

Es scheinet zu rathen zu gewaltsamen Verfahren, und Unterdrückung der Evangelischen, insonderheit derer Augspurgischen Confessions-Verwandten, so es mit den Pietisten nicht halten, und wird die Gemüther nicht nur in den Königlichen Landen, und insonderheit in Magdeburg und Preussen, sondern auch in den benachbarten Schwedischen, Sächsischen und andern Provincien, auch an entfernten Orten nicht wenig bewegen, als auch in publicis *böse Consequenzen nach sich ziehen.*

Dass nun niemand, als fromme und ehrliche Leute in allen, insonderheit geistlichen Aemtern seyn sollen, ist eine ausgemachte Sache; und können visitationes *zu Abschaffung der* abusuum *nicht anders als dienlich seyn. Wenn man aber an statt der* abusuum, *solche Dinge rühren will, da streitig, ob es* abusus *oder nicht, ja die durch* antiquissimam ecclesiae praxin, *zu geschweigen, durch* priuilegia *und* pacta authorisi*ret, wird des guten Zwecks verfehlet, und das Vbel ärger gemacht. Nun ist ja bekannt, dass* exorcismus *eine* antiquissima ecclesiae christianae praxis, *und* optimum sensum *haben könne, massen nicht eine leibliche Besitzung, die Macht des Teufels über das sündige Gemüth verstanden wird. Ist auch eine grosse und ungebührliche* suggestion, *den ihre Art* insinuiren *will, die Messgewand, Casoln, Lichter, Hostien etc. seyn ein*

ein Päbstlicher Greuel, da doch Seine Majestät selbst kein Bedencken gehabt, zu Königsberg sich in der Evangelischen Kirche solenniter der communion selbst zu bedienen. Und wenn des autoris ratio *gelten soll, die Feste abzuschaffen, weil man daran offt üppig lebt, so muss man auch die Sonntage abschaffen.* Tollatur abusus, non res. *Wer Königen etwas vortragen will, muss darin grosse* prudence *gebrauchen, und nichts setzen, das er nicht öffentlich gerne wolle gelesen wissen. Daher hätte der* Auctor *sich billig hüten sollen, auf Jesuitischen Schlag einem grossen Könige* indigna Maiestate eius artificia et simulationes *zu rathen, gleich als sollen Seine Majestät sich stellen, als hätte er einen andern Zweck, als er in der That hat.* vid. §. 8. *Wer kan auch* approbiren, *dass man dem Könige* suggerire; *es solle niemand befördert werden, als die von den Theologis zu Hall* approbation *gehabt: Denn entweder sind die Theologi zu Hall von anderer Meynung, als die Theologi anderer Universitäten, oder nicht. Sind sie es, so sind sie denn 2. Partheyen, und will man damit die eine verfolgen und opprimiren. Sind sie es nicht, was brauchts eines so ungewöhnlichen Verfahrens, und wird man nicht dadurch andere Potentaten zu Gegen-Verfassungen zwingen. Sonderlich ist unverantwortlich, dass man von Wittenbergischen Tücken und Schälcken spricht, und damit einen Theologischen Krieg wieder erregen will. Der* Auctor *wird sagen, er habe nicht gemeynet, dass es auskommen werde,* sed sapientis non est, dicere,

non putabam. *Und dann so ist es* indignum probo Theologo *einem grossen Könige* calumniosa *suggeriren.* Theologi Helmstad. recte facient, si hanc imprudentiam exaggerent, eaque occasione animum erga Vitebergenses bene affectum ostendant. *Und was kan ärgers gesagt werden, als, alle andere Theologi, ausser den Hällischen, hätten Tücke, und verbergen den Schalck. Ein grosser Herr ist wohl von so grosser Weisheit, dass er die so fort nicht vor Verrähter seiner heiligen Person halte, die in einem und andern über ihren* iuribus *mit den Landes-Fürsten in Controuersien stehen. Die höchsten Potentaten lassen die* controuersias *mit ihren eignen* subditis *in dazu bestellten* iudiciis *untersuchen, und lassen verständige* Iustitiarios *darüber urtheilen. Daher denen Herren suggeriren wollen, dass sie die* oppositiones, *so mit gebührenden Respect geschehen, und einigen Grund zu haben scheinen, vor Verrätherey halten sollen, ist* dignum adulatore, *der grosse Herren zu* violentis consiliis *verleiten will, da nichts anders als Böses draus entstehen kan. Der neuen Regul,* quod Princeps Euangelicus sit Papa in sua ditione, *muss man nicht missbrauchen. Bey den verständigen* Pontificiis *selbst ist* concilium vniuersalis Ecclesiae, *wo nicht* supra, *doch nicht* infra Papam. *Also ist billig, dass ein grosser Evangelischer Herr in wichtigen Religions-Sachen nicht alles vor sich allein thun, sondern mit andern Evangelischen Potentaten communicire,* ne rumpatur vinculum Ecclesiae.

EPI-

EPISTOLA LX.

De Winckleri Arcano Regio.

In Reſponſo de WINCKLERI (†) Arcano Regio prudentiam veſtram et moderationem agnoſco. Noluiſtis aliis dicere veritates ingratiores, quae certe non deerunt. Interim etſi malitia viri non ſit certiſſima, imprudentiam tamen eamque periculoſam vbique translucere manifeſtum eſt. Neque eſt diſſimulandum, ſed monendum publici boni cauſſa, quemadmodum et aliquatenus feciſtis. Rem omnem Domino Abbati Luccenſi communicabo, qui mecum eo communicationis nomine Tibi erit obſtrictus. Vale et faue. Dabam Herenhuſae 7. Aug. 1703.

(†) IO. IOSEPHVS WINKLERVS Paſtor Magdeburg. Wernigerodae 1704. ſermone germanico edidit; *ingenuam reuelationem cordis ſui erga omnes fideles Chriſtianos, et inprimis erga eccleſiam aedis cathedralis Magdeburgenſis, poſt exortas ex arcano Regio magnas turbas.* Inibi arcanum regium ſuum non eſſe ſcriptum contendit, ſed aliunde ad ſe transmiſſum, ſe autem id tantum addidiſſe, quod ad promotionem pietatis videtur vtile, et hoc ſe iam declaraturum: ſe tradidiſſe quidem arcanum auguſtiſſimo Regi, ſed non eo animo, vt in aliorum veniret manus, multo minus vt typis exſcriberetur. Caeterum de Reformatis iudicat, eos in doctrina de ſacra coena ita ſe declarare, vt realem corporis CHRISTI manducationem agnoſcant, abſolutum decretum reiiciant, controuerſiam de perſona CHRISTI miſſam faciant, nec dubitent aperte gratiam DEI vniuerſalem confiteri. Conf. IO. FABRICII Hiſtor. Bibl. ſuae P. IV. p. 444.

EPI-

EPISTOLA LXI.

I. *De Iablonskii scriptis irenicis iudicium.* II. *De Guil. Frobesii considerationibus controuersiarum.*

I. Has vt ad Te darem literas praeter ineuntis anni auspicia, quem cum multis sequuturis laetissimum precor, faciunt, quas additas vides, literae ad Te a Dn. IABLONSKIO. Equidem scripsi nuperis pro Te, pro Domino Abbate SCHMIDIO et pro Domino Praeposito HARDTIO, accepisse me exempla ab eodem Domino IABLONSKIO scripti his adiecti, quod vellem minus acre esset in Dominum Praepositum LVTKENIVM. Talia enim bello irenico ciendo apta sunt, quod vtinam Σιδηρόξυλον esset. Caeteris eximiis viris mittam proximis, ne nunc nimis Tabellarium onerem. Misissem maturius, nisi dictum mihi fuisset, quemdam hinc ad vos ire, quod deinde non ita esse compertum. Non dissimulo apud Dn. IABLONSKIVM talia scripta, etsi erudita, alioqui et bonis rebus referta, nisi inposterum ademtis acrimoniis castigentur, magis ad res turbandas quam componendas pertinere. Et, si eadem Tibi duobusque amicis (quibus interim cum multa a me salute communicare potes, dum ipsorum exemplaria sequantur) sententia est, poteris, si ita videbitur, communi iudicio scribere quod res est. Quod si etiam mecum sententiam vestram communicare non graue videbitur; eo magis omnia communi consilio acta censebuntur. Certe Dn. Abbas MOLANVS, qui idem accepit scriptum, eamdem esse sententiam suam scire vult

Bero-

Berolinenses, quam et Max. Reuer. Dn. IABLONSKIO perscripsi. Fac LVTKENIVM excessisse modum in scrupulis mouendis, atque etiam in communicanda aliis sententia sua non cautissime egisse, praestabat, eum priuatim vel moneri vel corripi Regis autoritate, quam priuatis et anonymis scriptis publice irritari. Quum vero facta infecta fieri nequeant, rogandi erunt amici Berolinenses, vt inposterum, quoad eius fieri potest, moderatius agant, nec nouo bello sacro dent occasionem, dum pacem moliuntur Quasdam offensiunculas condonare, quasdam et dissimulare praestat: nec tam habenda est viris grauibus piis in causa Dei personarum ratio, quam rerum. Quod superest vale faueque. Dabam Hanou. 31. Dec. 1703.

P. S.

II. Putabam me iam transmisisse priores literas, quibus significabam quid pro Te amicisque Berolino accepissem, et gratias agebam pro munere FORBESIANI operis sane praeclari, sed ecce circumspiciens video adhuc remansisse in tabula epistolam, quas ergo debeo gratias, nunc ago et exemplum nitidius in Bibliotheca Electorali reponam, alioqui cedet obuio cuique. Audio quibusdam displicere editionem, sed quid mirum, quum et priores hominibus pugnacioribus displicuerint.

EPISTOLA LXII.

Regina Borussiae negotii irenici caussam agit.

Has, quas vides adiunctas, ad Te mittit Dn. IA-

IABLONSKIVS. Regina mihi huc reuerſo dedit incluſas meis. Si quid in illis, quod me noſſe operae pretium putes, communicari peto. Spem facit res irenicas non male proceſſuras, neque ego deſpero, ſi bona conſilia audiantur. Nunc vale et faue. Dabam Hanou. 22. Februar. 1704.

EPISTOLA LXIII.

I. *Io. Fabricus laudatur.* II. *Danorum Suedorum et Lubecenſium in propaganda fide merita.* III. *Quo ordine controuerſiae theologicae perſequendae?* IV. *De Guil. Forbeſio iudicia.* V. *Leibnitii collectio ſcriptorum rerum Brunſuicenſium.*

I. Recte facis, quod collectos a tot annis theſauros publicos eſſe iubes, beneuole, quod priuatim et meos. Praeclari operis Tui controuerſiarum quae transmiſiſti bona ex parte legi. Valdeque ſum delectatus et doctrina plena iudicii, et neruoſa perſpicuitate. Video enim et ſelecta afferri et vtilia, eaque paſſim eruditionis ac expoſitionis lumine colluſtrari. Omnia tamen et perlegere et diſcutere non vacauit, neque id vel facultatis vel conditionis meae. Dedicatio non poterit non honorifica et grata iis eſſe, quibus deſtinaſti. Ego certe ad ſocietatem noſtram (cuius Tu ipſe es membrum) ornandam pertinere cenſeo.

II. Obiter noto: quamquam vix eſt tanti; vbi nil hactenus ab Euangelicis (ſic enim mallem κατ' ἐξοχὴν dici noſtros, quam Lutheranos) actum ais in conuerſione gentium aut fidei

dei propagatione, Danos et Suedos habituros, de quo querantur; hi enim in ſuis coloniis etiam barbarorum ſalutem curant: et Catechiſmum quendam lingua Americana in Suedia editum puto. LVDOLPHVS etiam noſter Vir ſummus meminit Lubecenſis cuiusdam, viri docti, qui hoc egit apud Abyſſinos, vt puritas Eccleſiae antiquiſſimae ſua conſtaret.

III. Caeterum ordo commodus eſt, vt ab Atheis ad gentiles, Iudaeos, Mahumedanos, Vnitarios, Pontificios tranſeatur. Reformatos autem opus coronaturos ſuſpicor. Vbi pro prudentia Tua rem haud dubie ita inſtitues, vt ex nuperrimis noſtris monitis quaedam interiora ipſi negotio reſeruentur. Pro Tuo et opere et Programmate quoque, Te ac munere quo fungeris digno, quod Pro-Rector Vniuerſitatis ad indicendam Panegyrin promulgaſti, in quo Sereniſſimus Dux RVDOLPHVS AVGVSTVS depoſita mortalitate celebratus eſt, gratias decentes ago. Vale ac faue. Dabam Hanou. 24. Mart. 1704.

P. S.

IV. Gaudeo FORBESIVM Tuum tam fuiſſe acceptum Francofurtenſibus ad Oderam. Huic in nouo opere Tuo ſupplementa mittis egregia. Talia adhuc multa a Te expectamus, nam abſit vt de valetudine tua male omineris. VRSINI quoque Epiſcopi approbationem FORBESIO Tibique gratulor. Vtinam, quo tempore Epiſcopales in Anglia praeualent, vt nunc fieri videmus, aequiores vtique quam Presbyteriani, res Irenica magis vrgeatur.

V. Dn.

V. Dn. Praepositus de Hardt narrabit Tibi, quale molior opus Collectionis scriptorum res Brunsuicenses, Guelficas, Estenses, illustrantium. Inde ex nostris regionibus, sed etiam, ex Italia et superiore Germania (vbi olim Guelfi) auxilia corrogo. Egregie fauet Dn. de Hardt ex Bibliotheca Iulia. Forte Abbates Tibi amici aliquid suppeditare possent. Non ita adstringor Brunsuicensibus, vt non res vicinarum regionum admittam, quae nostra vtique illustrant. Intercede quaeso apud vicinos Abbates aliosque amicos Tuos.

EPISTOLA LXIV.

I. *Caluoerius laudatur.* II. *Quis auctor scripti, cuius index: Addresse an den König in Preussen.*

I. In aere semper Tuo sum, ob praeclarum munus; sed nescio an debitorem me gratiarum actione debita sim professus, si non feci, quaeso factum iam putes. Certe enim multas Tibi gratias debeo agoque et societatis et meo nomine. Quanquam idem ab eius parte factum, et ipse feci, repetiisse tamen non poenitet. Vtinam ne in his frustra laboraretur, culpa hominum vtriusque ni fallor partis. Dn. Calvoerius de ritu opus, vt video, incepit. Nondum legere vacauit, ita quo consilio scripserit, nondum scio. Virum non indoctum esse constat. Si quae Tibi in re litteraria nota, discere gratum puto.

II. Quem putas autorem esse *von der Addresse*

dreſſe der Evangeliſchen an den König in Preuſſen und von der Beantwortung. Ab vtraque parte parum placent talia ſcripta. Nam et Reformatus mihi inſultare et minax aliquid ſpirare videtur. Vale et faue. Dab. Hanou 9. Maii 1704.

(*) Conſtat Auctorem ſchediaſmatis, quod a. 1703. ſub indice: *Allerunterthänigſte Addreſſe an ein groſsmächtiges Oberhaupt etc.* prodiit, ſumme venerabilem D. VAL. ERN. LOESCHERVM eſſe. Ad quod IO. CHRIST. BECMANVS, Theologus Francof. ad Viadrum *in der Exceptions-Schrifft wider eine allerunterthänigſte Addreſſe* reſpondit. Plura deinceps ſcripta polemica a vener. LOESCHERO ab vna, et a celeb. BECMANO ab altera parte edita ſunt, quae occaſionem aperuere, vt celeb. LOESCHERVS Commentarium elaborare coeperit; cuius index: *Ausführliche hiſtoria motuum zwiſchen denen Evangeliſch-Lutheriſchen und Reformirten.* Conf. ven. C. M. PFAFFIVS in introduct. in Hiſtor. theol. litt. P. II. lib. III. ad §. VIII. p. 174. ſq.

EPISTOLA LXV.

Leibnitius ſcriptores rerum Brunſuicenſium colligit.

Gratias ago pro multa coram beneuolentiae ſignificatione, et, quod mihi ea abuſus videar, veniam peto. Faſciculum mihi commodatum recte Berolini reddi curabo. Ego apud Dn. de ALVENSLEBE multa reperi Mſc. praeclara, tum paterna tum antiqua admodum, quibus et noſtra hiſtoria plurimum illuſtrari poteſt. Cras hinc diſcedam et Berolini porro aut Lutzenburgi ſubinde diſcere ſpero, quae apud vos (ex ſententia vt ſpero) gerantur. Interea vale faueque. Dabam Hundisburgi 24. Aug. 1704.

EISTOLA LXVI.

Episcopus Vrsinus de rebus irenicis consilia cum Leibnitio communicat.

Nuper cum Reuerendissimo Domino Episcopo VRSINO loquutus, iniecta de Te mentione, intellexi virum egregium plurimum Tibi fauere, atque id agere, vt Tuis commodis apud Regem inuigilet. Misit mihi nuper dono (1) Liturgiam ex Anglico in Germanicum versam (2) Consensum Sendomiriensem a Clarissimo STRIMESIO editum. (3) Eiusdem STRIMESII scriptum germanicum, cuius titulus est: *Kurtzer Entwurff der Einigkeit*, vbi duas protestantium partes non inepte conciliare nititur. Haec omnia iam ad Te peruenisse puto. De caetero gratiarum actionem pro exhibito tam munifice hospitio repeto. Quod superest vale et faue. Dabam Berol. 21. Octobr. 1704.

EPISTOLA LXVII.

I. *Strimesius studet Fabricio.* II. *Antonii Vlrici et Leibnitii de Sebastiano Edzardo iudicium.*

I. Literas Tuas recte accepi et gaudeo, Te valere et mei meminisse. Saepe mihi de Te sermo fuit cum Reuerendissimo Domino Episcopo et max. Reu. IABLONSKIO, qui nunc, defuncto SMETTAVIO, Concionatorum Regis est primus. Sunt et septimanae aliquot, quod Berolini me accessit praeclarus Francofurtensium ad Oderam Theologus, Dn.

SA-

SAMVEL STRIMESIVS mirificeque doctrinam et moderationem Tuam laudauit. Liturgiam Anglicanam iussu Dn. Episcopi germanice editam, STRIMESII librum de consensu Sendomiriensi et *Kurtzen Entwurff* etc. ad Te mittere voluit Dn. Episcopus, iamque Tibi redditos puto hos libros. Putat Te facturum rem gratam Regi, si scriptum aliquod edas breue de Liturgia Anglicana, inque eo institutum commendes, et in praefatione mentionem benignam facias *des Kurtzen Entwurffes* Domini D. STRIMESII, et doctrinam viri ac moderationem laudibus meritis exornes. Hoc scriptum Regi Prussiae dicari posset.

II. Gaudeo, quod Serenissimo Duci ANTONIO VLRICO placet consilium Tuum et meum, ne scilicet iuueni Hamburgensi SEBAST. EDZARDO nequicquam paratragoedianti respondeas, quamquam optem scribi ad Magistratum, vt coerceatur hominis petulantia. Sed magis gaudeo, quod Serenissimus Dux Te Guelfebytum vocauit, et quanti Te faciat omnibus ostenderit. Quod superest vale et me ama. Dabam Berolini 29. Nou. 1704.

EPISTOLA LXVIII.

I. *De Societate scientiarum Berolinensi.* II. *De negotio irenico consilium.* III. *Guil. Forbesii de sacra coena sententia.*

I. Postulatum Tuum ego sane aequum puto, nec omittam occasione data aliquid de eo mouere, vt videam, quae spes sit? In societate Regia Scientiarum non distinguimus

membra, proceres, collegas, forte ergo membrorum mentio ſuffecerit.

II. Putem conſultum fore, vt non tam per reſponſi modum, quam obiter in epiſtola ad Dn. IABLONSKIVM reſponſoria, id ipſum paucis inſinues, quod cum Dn. Abbate SCHMIDIO ad me ſcribis. Equidem ſcriptum vobis transmiſſum multas res bonas continere, et pium habere ſcopum, nec nullas editionis videri fuiſſe cauſſas; ne tamen opus Irenicum ſufflaminetur Tibi ac Dn. Abbati SCHMIDIO eius cupidiſſimis optandum videri, vt quoad eius fieri poteſt, caueantur ea, ex quibus pro pace nouum bellum Theologicum oriri poſſit.

III. GVIL. FORBESII bonam partem relegi (nam olim legeram) non ſine voluptate et fructu. Quae in negotio Sacrae coenae dicit viſa ſunt pleraque admodum commoda, et noſtris explicationibus conſentanea. (*) Societas Regia ſibi haud dubie honori ducet dedicationem praeclari operis Tui praeſertim contra aduerſarios communes. Quod ſupereſt vale et faue. Dabam Hanou. 7. Decembr. 1704.

(*) GVIL. FORBESIVS in Conſiderationibus controuerſiarum Francof. a IO. FABRICIO tertium editis p. 563. et 564. *Tutiſſima*, inquit, *et rectiſſima videtur illorum proteſtantium aliorumque ſententia, qui corpus et ſanguinem* CHRISTI *vere, realiter et ſubſtantialiter in Euchariſtia adeſſe et ſumi exiſtimant, imo firmiſſime credunt, ſed modo humano ingenio incomprehenſibili, ac multo magis ineffabili, ſoli* DEO *noto, et in Scripturis nobis non reuelato, non quidem corporali et per oralem ſumptionem, ſed neque etiam ſolo intellectu, ac pura puta fide, ſed alia*

alia ratione, ſoli DEO, *vt dictum eſt, cognita, illiusque omnipotentiae relinquenda.*

EPISTOLA LXIX.

Fabricius refutatur ab Anonymo.

Sereniſſimus Dux ANTONIVS VLRICVS, qui plurimum Tibi fauet, non ſine indignatione intellexit male Te habitum, et iniurioſe per epiſtolam improbi ἀνωνύμȣ. Cellis huc ſcriptum eſt, inquirendum in autorem et vindicandum honorem Tuum, et ſi irrita ſit indagatio, chartam infamem flammis abolendam. Itaque Dux Sereniſſimus vellet nihil omitti, quod ad indagandam veritatem prodeſſe poſſit, iuſſitque, vt hoc Tibi ſignificarem. Facile intelligis, quam libenti animo iuſſa eius exequar, et quam non omiſerim hortari ſponte pronum, vt in iuſta ſeueritate perſeueret. Itaque delibera quaeſo, qua ratione optime inquiſitio inſtitui poſſit, et ſi quae iudicia habes, ſufficientia ſaltem ad inquirendum in aliquem vel aliquos, delibera cum ICtis, an e re videatur, proponere illa in medium, ſubmittereque iudicio magiſtratus? Idque vt eo tutius facias, neue accuſator fias ex denunciante, caſu nominibus ſuppreſſis expoſito, fac, vt reſponſum obtineas cuiusdam collegii ICtorum, cuius ſequutus ſententiam eo ſis deinde ſecurior in omnem euentum litis. Caetera alias, nunc enim diſcedit currus publicus. Quod ſupereſt vale, et me ama. Dab. Brunſuigae. 2. Maii. 1705.

EPISTOLA LXX.

I. *Inter germanos pauci sunt Matheseos cultores.* II. *Edzardi disputandi et inclarescendi methodus.*

I. Vereor, vt in negotio, quod tangis, aliquid recte agi possit apud Berolinenses: adeo saepe res illic parum cohaerent studiis diuersorum. Expectabimus responsum. Quem laudas iuuenem Mathematicum, nosse propius oporteret, vel a speciminibus. Groningae quaerunt BERNOVLLIO succedaneum, qui non facilis inuentu. Nescio quo frigore torpent Germani, vt raro altius assurgant, in studiis istis, excolendisque inuentis, licet apud istos natis; negant Mathesin esse de pane lucrando, et tamen egregiae stationes paratae sunt eminentibus.

II. EDZARDVS iam procedit ad Mahumedanismum Caluinianorum, miror quod non Arianismum praemiserit. Repetet de ADAMO NEVSERO naenias, et REGINALDVM exscribet, quicquid nunc effutiet habebit emtores. Id debet igni Regio, quo inclaruit, secundum Epigrammation amici:

EDZARDI tenebras illustrat Regius ignis
Et nugis pretium poena vel ipsa facit.

Vale. Dabam Hanou. 9. Iunii 1705.

EPISTOLA LXXI.

I. *Consilia irenica.* II. *Scriptoribus anti-Irenicis directe non respondendum.*

I. Significare volui, me Tuas cum fasciculo

IA-

IABLONSKIANO Guelphebyti reperiſſe. Interim literae venere a Domino Epiſcopo ad Sereniſſimum Ducem ſatis ad mentem noſtram. Ait enim ſe ad Regem ex acceptis retuliſſe, et Maieſtatem Regiam optime eſſe animatam. Miſſum etiam Theologum ad aulas Reformatas vt animi praeparentur. Vellem inprimis Caſſelanos reddi τοῖς Μαρχικοῖς ὁμοψήφους. Vereor enim vt ſint ſatis. Sed arte opus puto, ſtrepitusque inprimis cauendos, ne magis turbentur irritenturque ψευδορθόδοξοι. Innuit interim miniſtros quosdam regios non videri ſatis in rem praeſentem animatos, idque agere vt difficultatibus deterreant Regem. Sed nihil facilius, quam mouere aut obiicere difficultates, artis eſt remouere.

II. Quod ad nouos quosdam Antirenicos ſcriptores attinet, ego putem non melius agi poſſe, quam ſi ne vni quidem reſpondeatur directe. Rex ipſa tractari ſcriptis poteſt. Litigatores optime vlciſcentur irenici non reſpondendo. Baccho bachanti ſi velis aduerſarier etc: Vnus doctiſſimus ITTIGIVS vellem non prodiiſſet in hanc arenam, ſed praeſtabit non reciprocare cum ipſo ſerram contentionis, ne magis aduerſum reddamus litigando. Scriptis publicis eriſticis non proficitur, praeſtant expoſitoria, quibus facile reſpondetur. Libenter intellexi quae de Domino RICHTERO ſcripſiſti. Gaudeo et Hamburgenſes egiſſe quod aequum erat. Vale. Dabam Brunſuigae 27. Apr. 1705.

EPISTOLA LXXII.

I. *In negotio irenico strepitus vitandus.* II. *Negotium religionis in Palatinatu.*

I. Dominum D. LEINKERVM Tuum vidi, Tibique gratias ago, quod eum ad me direxisti. Visus enim est et Studiis et humanitate pollere. Sapientissime fecisti, quod Domino Episcopo ostendisti, eo rem esse loco, vt si multum differatur, plane sit in nihilum recasura. Mutabuntur personae et cum personis rerum facies. Plerumque res paucorum virorum inclinatione animi et consiliis constant, quibus sublatis alia saecula sunt exspectanda. Et velim, nisi iam factum, illi indices, quam mutationem in his oris Tibi ea portendant, quae ipse expertus est, postea quae iam sunt edita in hoc negotio, nescio an e re sit multa proferri nunc in lucem. Agendum est, non scribendum: libris editis nouis hoc iam fermento animorum irritabuntur magis aduersarii, et inter se communicantes consilia, facillime obstruent aditus omnes, qui manebunt aperti, si strepitus a nostra parte absit. Nihil ne ab aliquo tempore Düsseldorpio habuisti a R. P. VRBANO? aut a cognato Tuo Domino RICHTERO? Qui si is est, quem olim respublica vestra aliquandiu in diaeta Ratisbonensi habuit, sic satis aetate prouectus sit oportet.

II. Negotium de Religionis statu in palatinatu nonnihil adhuc haesurum videtur, aiuntque Dominum BVRCARDVM, qui ibi pro Serenissimo Rege Borussiae cum Ministris Palatinis egit

egit, auocatum iri, alio ſubſtituto, qui Aulae Palatinae ſit gratior. Si negotium Banni Bauarici nil confert, parum de ſucceſſu ſpero, quum et Ratisbonae frigeant, quaecunque illic tractantur, ſed nil magis, quam religio, quae frigere ſolet vbique. Quod ſupereſt vale et faue. Dabam Hanou. 11. Aug. 1705.

EPISTOLA LXXIII.

I. *Omeiſii inſcriptio.* II. *Gloſſarium diuerſarum linguae germanicae dialectorum deſideratur.* III. *De obitu ducis Cellenſis.* IV. *De Acad. Vitembergenſi.*

I. Inſcriptionem Omeiſianam Berolinum mittam ſane non inelegantem. Sed de omine illo ferali Hanouerano nil inaudiueram, ſi candelabrum aliquod argenteum forte decidit, quod ignoro, in noſtra aula profecto ominoſum habitum non eſt; neque nos adeo faciles ad omina captanda ſumus.

II. Gratias etiam ago pro iocularibus illis in Bauaros compoſitionibus. Talia mihi placent dialectorum prouincialium ſpecimina. Audio Dn. PRASCHIVM olim Ratisbonae edidiſſe Gloſſarium Bauaricum vocabulorum Bauaris propriorum, id nunquam nanciſci potui. Vellem ſimiliter Franconicum et Sueuicum et aliarum Germaniae partium haberemus. Aliquando Dn. Abb. MOLANO ſuaſi, vt tributum indiceret noſtris paſtoribus ruralibus, cogeretque vnumquemque certum numerum vocabulorum inferioris noſtrae Saxoniae mittere, quae alibi non facile intelligerentur.

III. Vellem profecto adessent nobis quos memoras egregii Viri. Sed mors Serenissimi ducis Cellensis res vestras nostrasque, imminuta commercii inter aulas facilitate, non parum conturbauit. Faxit Deus vt animi concilientur communi bono. Dn. HOFMANNVS medicus Serenissimi Marchionis Ansbacensis cum Domino suo nunc apud nos agit, et nuper mecum loquutus est, Vir, vt apparet, egregius.

III Ne et studiosi alii Wittebergam salutarent, mirarer nouam prohibitionem factam, nisi illam Wittebergensis noua quadam acerbitatis significatione expresserunt. Sed uereor, ne Abbatem Bergensem deceperint minae, vel vanus aliquis rumor. Quod superest Vale et faue Dabam Hanou. 14. Sept. 1705.

EPISTOLA LXXIV.

I. *Meierus non studet Fabricio.* II. *Non edenda nimium multa scripta irenica.*

I. Non satis memini an Tuis per omnia responderim? Quod MEIERVS Tibi minatur, spero effectu cariturum, quanquam quum hic adesset, nihil tale erga me ostenderit, alioqui tentassem ei eximere errorem. Velim vt aliquando quum ego adero, ad nos venias, et propius Serenissimo Elec ›ri innotescas. Quod superest vale et faue. Dabam Hanou. 3. Nou. 1705.

II. P.S. Responsum Dn. IABLONSKIO adhuc debeo, ipsique Dn. VRSINO Episcopo. Valde vellem non multiplicari libros de hoc argu-

argumento, quod attingunt in ſuis litteris. Neque enim ea res alium habet vſum, quam quod crabrones irritentur. Et ſi Dn. STRIMESIVS vult reſpondere omnibus, qui ſcriptis publicis Irenicos inuadunt, infinita erit occupatio.

EPISTOLA LXXV.

I. De Launoii libro de poteſtate regia in matrimonium. II. Lotharingicum matrimonium quibus controuerſiis anſam dederit? III. De concionatoris Principem ſuam reprehendentis officio.

I. Et Domino IABLONSKIO et Domino Epiſcopo ſcripſi crabrones tantum ſcriptis irritari polemicis. Quod de Dn. TILEMANNO Marpurg. Theologo ſignificaſti, perplacet. Praeſentiam tuam hic gratam fore arbitror data occaſione excurrendi. Habemus hic LAVNOII librum, de poteſtate regia in matrimonium, itaque Tuis iuſſis erit paratus. Caeterum ANCILLONIVM vel potius eum, qui ex eius ore aliquid, de hoc libro, retulit, errare puto. LAVNOIVS enim hoc libro ſcripſit, quae menti eius conſentanea ex aliis operibus eius ſatis conſtat.

II. Quod Lotharingicum matrimonium attinet, res ita ſe habet. Viuente LVDOVICO XIII. et primo eius Adminiſtro RICHELIO Dux Aurelianenſis Pater Regis aulae offenſus, ignaro vel inuito Rege duxit in coniugium MARGARETAM Principem Lotharingicam. Id matrimonium RICHELIVS pro nullo haberi volebat, quia lex eſſet Galliae, vt Principes

ſan-

ſanguinis inuito Rege nuptias contrahere non poſſent. Ea de re integri libri ſunt ſcripti. Sed LAVNOIVS librum ſuum longe ſerius ſcripſit, quando de matrimonio Aurelianenſi non amplius agebatur, et tractáuit quaeſtionem generalem, vtrum poteſtas Secularis vel Regia poſſit lege ciuili conſtituere impedimentum dirimens? Eaque quaeſtio in Gallia antiqua eſt, ex quo in Bleſenſibus Comitiis conſtitutum eſt, vt nulla eſſent matrimonia, inuitis Parentibus et aliis curam minorum habentibus, contracta. Talem legem fieri poſſe, Canoniſtae et Moraliſtae Itali plerique negant, Galli affirmant, quia materia ſacramenti matrimonii ſit contractus ciuilis, qui formam ſuam a lege ciuili accipiat. Itaque legem ciuilem tantum remote in ſacramentum operari. Hanc doctrinam etiam LAVNOIVS propugnauit. Liber tamen eius relatus fuit in indicem prohibitorum.

III. Concionator quidem priuatim Principem ſuum admonere poteſt, ſed publice proſcindere non debet, quia ea res nocet reipublicae, nec prodeſt Eccleſiae. De Dn. WAGENSEILII morte plurimum doleo. Gratias ago pro Diſſertatione ingenioſa gallica: de Anti-Chriſto, quam ego nondum videram. Sereniſſimo Duci puto non ingratam fore. Quod ſupereſt vale et faue. Dabam Hanou. 20. Nouembr. 1705.

EPI-

EPISTOLA LXXVI.

I. *Fabricius cum Tilemanno de negotio irenico sua consociat consilia.* II. *De regia in matrimonium potestate.* III. *De re irenica.* IV. *De Antonii Vlrici cum concionatoribus aulicis controuersia.*

I. Perutile erit, Tuum cum Dn. TILEMANNO commercium. Consultum erit, vt cum Dn. Episcopo VRSINO communicet, itaque illum hortare, quaeso, vt ad hunc scribat et scribenda suppedita. Nam si Episcopus ostendat Regi id, fructum epistola habebit. Vellem nosse distinctius quid Dn. TILEMANNVS de Strimesianis iudicet? Ea enim discedunt, vt scis, a Dordracenis non tantum in gratiae Vniuersalis negotio, sed et in doctrina de vera iustificatione temporariorum. Ex Serenissimo Duce ANTONIO his festis diebus, quibus in eius aula egi, intellexi, Dn. RICHTERVM Consiliarium intimum apud eum fuisse. Valde doleo, quod nos praeteruectus est.

II. LAVNOII librum de regia potestate in matrimonium transmittam. Olim iuuenis, ante eum editum, in Gallia discussi hanc materiam, quum Serenissimus Dux Megalopolitanus CHRISTIANVS LVDOVICVS sententiam meam expeteret super matrimonio suo secundo, quod diuortio cum cognata inaedificarat; et postea, sed sero, diuortii poenitentia ducebatur.

III. Cogito iam iter Berolinense. Significauit mihi Dn. IABLONSKIVS; missurum Te ipsi et STRIMESIO scriptum, quod intersit tu-

to

to reddi: id a me afferri posse. Certe curabo diligenter. Tantum suadeo, ne quid cum illis communices facile, quod ad rem Pontificiam pertineat, si qua in re alia Tibi videntur, mone quaeso in tempore. Vidi scriptum Germanicum typis editum, pro eis, qui religionem nostram cum Pontificia commutent, aut huic mutationi faueant, id mihi visum est valde frigidum. Et miratus sum admitti ab autore, quod magis Pontificii nostros damnent, quam nostri ipsos. Nam certum est, plerosque Pontificios non damnare haereticos materiales. Quum Te vidisse non dubitem, fac quaeso, vt iudicium de eo Tuum intelligam.

IV. Recte Serenissimus Dux negotium cum suis Concionatoribus Aulicis sine strepitu et figura iudicii finiuit, illi quidem in publica correptione modum omnem prudentiae non minus, quam aequitatis excessere. (*) Quod superest et vale in multos annos nouo hoc felice inchoandos et faue. Dabam Hanouer. 6. Ianuar. 1706.

(*) De concionatoribus illis aulicis, IO. NIECAMPIO et M. KNOPFIO, qui ANTONIVM VLRICVM Ducem Brunsuicensem reprehendebant, quod licitam iudicaret a religione euangelica ad pontificias superstitiones transitionem, longe aliter iudicat celeberr. IOHANNES FRICKIVS in scripto cuius index: *Britannia rectius de Lutheranis edocta.* Etenim p. 20. *Nemo est*, inquit, *qui diffiteri audeat, libere illos tum momendo, tum obsecrando obtestandoque, publice ac priuatim quantum subsit periculi, pro eo ac decuerat, multoties demonstrasse. Quin et publicis vtrinque scriptis innotuit, illos demum, vbi se parum omnino profecisse viderant, eo compulsos, vt Serenissimum obtestarentur, ne conscientiae aut ipsorum, aut suae*

suae vim inferret, sacrae Eucharistiae communionem ab ipsorum manu poscendo: quam sane (quod non sine acerbo animi moerore dicant) hac rerum facie ministrare non queant, nec alieni grandis peccati participes sese reddere. Ambrosios aeui nostri dixeris, quamquam multo adhuc circumspectius atque modestius illo veteri Mediolanensi praesule rem suam, seu potius rem Christi Domini ad Principem Christianum agentes. Nimirum non in iurisdictionem tantillum inuolabant, nec pro iudicibus se gerebant. Imo nihil tam anxie in votis habebant, quam vt res gesta omnis atque quaestio ad iudices non suspectos deferretur. Quam ob rem et demisse licentiam petebant, ab Academia aliqua Serenissimo Principi non subiecta, aut etiam pluribus, si daretur, sententiam rogandi. Hoc vero quum ἀποτόμως *negaretur; tum demum, quod, iudice etiam HVG. GROTIO, inter actus Pastorum proprios referri debet, suum duntaxat actum suspendebant, non in actus alienos ius vllum dominii exercebant, velut medicus hydropico adsidens aquam poscenti nocituram porrigere recusat. Merentur vtique conferri Relationes innocuae* Anni 1708. p. 706. seq. vbi scripta, quae ad hanc controuersiam illuminandam faciunt, recensentur.

EPISTOLA LXXVII.

Eccardo Professio Historiarum in Acad. Helmstadiensi destinata.

Quum literas Tuas accepi, quibus spem aduentus facis, volebam scribere, et suadere, vt mature huc venires ante discessum meum, quem non diu differam, dissimulatoque apud vos consilio, Guelfebytum, atque inde huc ires; ita forte in transitu posses aliquid discere, vtile nosci: inter alia circa constituendas res vestras, Seren. Dux mihi testatus est, non ingratum sibi esse Dn. ECCARDI nominationem ad Historiarum Professionem, sed Tua commendatio.

tio plurimum adhuc poſſet, ne optima intentio Sereniſſimi Principis, vt ſaepe fit, auertatur. Sed haec quidem pro commoditate Tua conſtitues. Ego felix opto iter. Hanou. 15. Ian. 1706.

EPISTOLA LXXVIII.

In negotio Concionatorum aulicorum Guelpherb. nihil temere publicandum.

Quid eſt, quod de redhoſtimento loqueris, quum ego toties vſus ſim beneficio Tuo? Mallem in negotio Concionatorum Aulicorum Guelfebytanorum nihil prodire in lucem miniſterio typorum. Nam ſcheda ſchedam trudit, effrenisque ſcribendi licentia inualuit. Vidi ego iactatas mota face creſcere flammas, et vidi, nullo concutiente, mori. Hic plerarumque controuerſiarum genius eſt. Puto Dn. Prof. Eccard nunc apud vos agere, et auſpicato aduenilſſe. Huic peto vt incluſas reddi cures. Vale faueque Dabam Hanou. 19. Febr. 1706.

EPISTOLA LXXIX.

De rebus irenicis.

Clauſulam illam ex menſali colloquio natam, et, quum de Pontificiis quaeſtio eſſet, facilitatem Polyarcho nimiam viſam, pro certo comperi. Reſponſum ad clauſulam omnino conueniens arbitror. Theologorum eſt tam de veritate, quam de momento ſententiam expromere; ſed

ſed negotia ad Rempublicam ſpectant, de quibus non comtemnenda nobis polliceri poſſumus, ſi rectis conſiliis inſiſtatur, nec ſincere minus, quam circumſpecte agatur. Quinam ex veſtris Francofurtum ablegabuntur? Vale ſaueque Hanou. 13. Apr. 1706.

EPISTOLA LXXX.

I. *Vitembergenſes ad Iubilaeum Francofurtanum mittunt deputatos.* II. *Reimannus laudatur.*

I. Gaudeo Te ſaluum rediiſſe, nec dubito, quin omnia in itinere ex ſententia proceſſerint. Nullae ne aliae Vniuerſitates ſtudiorum, quam quas memoras, deputatos miſere? Wittebergenſes olim iuratos Francofurtenſium aduerſarios aduenisse ſum miratus. Vellem inter eos Theologus eſſet aliquis, quocum colloqui placide potuiſſent BECMANVS, STRIMESIVS vel HOLTZFVSIVS. (*) Id quaeſiſſe videntur hoc humanitatis officio, vt prohibitiones illae ceſſent, quae Wittebergenſibus multum nocuere. Licetne noſſe nomina omnium deputatorum, et ſi quae alia memorabiliora in hac Iubilaei ſolennitate acta, quae in typos non venere.

II. Ego quum abeſſes, ad vos excurrere coactus ſum, ſed diu morari non licuit, inde Halberſtadium quoque digreſſus ſum, eaque occaſione adii in vicinia Dn. REIMANNVM apud Ermeslebienſes Paſt. Prim. virum doctum in hiſtoria et Theologia, et praeterea Eccleſiaſten, vt audio, facundum et auditoribus acce-

ptum. Doleo talem Virum latere propemodum rure: vtinam eius in mentem venisset tunc, quum Serenissimus Dux nouos aulae suae Concionatores asciuit, non potuisset elegi aptior. Est enim Vir inprimis cordatus, et a praeiudiciis illis alienus, quae Serenissimo Duci tantopere merito displicent. Et velim consilium Tuum sententiamque intelligere, an non fortasse futurum putes, vt aliquis ex iis, qui nunc in aula concionantur, aliquando id officium cum Superintendentia aliqua aut simili officio sit commutaturus, quo huic Viro commendando locus fiat. Certe enim Guelfebyti eum aut Brunsuigae collocari e re Principis, Ecclesiaeque et litterarum foret. Quod superest vale faueque Dab. Hanou. 18. Maii. 1706.

(*) Vitembergensis Academiae nomine Iubilaeo Academiae Francofurtensis IO. HENRICVS BERGERVS Codicis tunc Professor et Regis Poloniae atque Electoris Saxoniae Consiliarius interfuit.

EPISTOLA LXXXI.

Reformati Fabricii doctrinam et moderationem laudant.

Ex litteris IABLONSKIANIS intellexi, quantum illic doctrinae et moderationi Tuae tribuatur, id Tibi nobisque gratulor, optoque, vt fructum inde capiat Ecclesia, quod in ipsis maxime Berolinensibus situm iudico. Nos enim egimus dudum, quae oportet. A titulo illo in his regionibus sic satis insolito, vt in superscriptionibus literarum mearum abstineas serio peto. Doleo Dn. HACKMANNI res

Fran-

Francofurti tam male ſucceſſiſſe; Meliori fortuna dignus eſſet, ſi conſiliis amicorum vteretur. Cantabrigienſes deputati hic me inuiſerunt. Vale faueque Dabam Hanou. 28. Maii 1706.

Cl. Reimannvm Dn. Abbas Schmidivs nouit et magni facit. Extant et eius ſcripta complura, quae is Tibi indicabit.

EPISTOLA LXXXII.

I. *Irenici negotii conditio.* II. *Leibnitius Reimanni commodis conſulere annititur.*

I. Sperabam his Te nundinis complecti, ſed varie fui diſtractus, praeſertim quod Rex Boruſſorum expectaretur, aliaque incidiſſent, Sereniſſimus autem Dux noſter diſceſſum ad balneum a Serpentibus cognominatum pararet. Optaſſem ego ex inſtante coniugio potuiſſe aliquod commodum parari rei eximiae, quae dudum agitata eſt, ſed vt video hominum animos eſſe, et vel praeoccupationem, vel harum rerum incuriam, omnia ibunt via trita.

II. Quum Dn. Abbatis Spechtii obitus multis mutationibus inter Eccleſiaſticos locum dare poſſit, dum alii fortaſſe aliis promotis ſuccedent; optarem ego, locum poſſe Brunſuigae vel Guelfebyti inueniri doctiſſimo noſtro Reimanno Rectori ante aliquot annos Halberſtadenſi, nunc Paſt. Prim. Ermeslebienſi, qui Dn. Abbati Schmidio eſt amicus et notiſſimus. Eum vbi noueris, intelliges prorſus ad palatum eſſe Tuum: nec parui momenti eſt,

tales admoueri ſacris muneribus, qui prudentia ac doctrina eximii, vulgi affectibus erroribusque non teneantur. Quod ſupereſt vale ſaue. Dabam 31. Aug. 1706.

EPISTOLA LXXXIII.

Peterſenii verſus et opus Apocataſtaſeos laudantur.

Gratias ago, quod me laetiſſimo nuntio beaſti. Multum inde boni ſpero in republica et Eccleſia. Quid ſi eum in pectore ſeruet Sereniſſimus Dux, qui tanto applauſu nuper in aedicula Salzdahlemenſi perorauit? Eum ego virum aulae illi non mediocriter gratularer, ſed dubitarem, an conſilium illi eſſet quietam ſtationem mutare ſplendidiore ſed laborioſiore? Intra paucos dies mihi in aulam Guelfebytanam eundum erit, quod aduerſa valetudo hactenus impedierat. Vtinam Te illic inuenirem. Ex litteris Tuis non diiudico illinc an Helmſtadii ſcripſeris, nam datum, quod vocant, abeſt. Patrem quemdam Ieſuitam Plecknervm illuc venire aiunt. An Tibi ille cognitus? Peterſenianos Verſus magna cum voluptate legi: explorata mihi erat eruditio Viri, ſed tantum ligato ſermone poſſe ignorabam. Mihi ſemper omnia eius ſcripta mirifice placuere, etiam vbi non plane de veritate ſententiae ſum perſuaſus. Magnum opus Apocataſtaſeos inprimis arriſit: legique cum voluptate et fructu. Itaque ego ipſe Recenſionis Autor fui ac concinnator, quam doctiſſimus Eccardvs noſter ſuis relationibus Menſtruis

is Germanicis aliquando inseruit. (*) Etiam Io. Clericvs Vir doctissimus huic sententiae fauet. Gaudeo quod scribis esse me in aliquo pretio apud insignem Virum. Cuius nomine libenter offeram, quae mittet. Serenissima Electrix eius aliquoties meminit honorifice. Quod superest vale faueque. Dabam Hanou. 14. Oct. 1706.

(*) Conf. Monathliche Auszüge 1701.

EPISTOLA LXXXIV.

Peterfenii versus laudantur.

Intra paucos dies, Deo volente, apud Vos ero, media vt spero septimana sequente vel paulo ante. Inde Berolinum pergam. Quia cerimoniis nuptialibus hic non adero, Dominum Gargantivm Serenissimae Electricis ipsius scitu rogaui, vt Peterfenianos tunc versus sane pulcherrimos offerri curet. Dubitaui, an ea occasione etiam offerendum esset scriptum Dn. Theophili in canticum Salomonis? Sed quia nec carmine scriptum, et mere latinum est, iudicaui id frustra fore, interim gratias ago. Petersenio insigni viro mox ipse scribam. Interea vale faueque. Dab. Han. 5. Nouembr. 1706.

EPISTOLA LXXXV.

I. Peterfenii laus. II. Leibnitius spectaculis non delectatur.

I. Quae commisisti recte curata dudum haud dubie intellexeris. Nunc ad Te litteras egregii Viri Dn. D. Petersenii mitto, quas

quas hinc discedens mihi reliquit. Plurimum eius ingenio et zelo sum delectatus, vellemque magis frui colloquio potuisse.

II. Spectaculis plerisque et regiis voluptatibus interesse me oportuit magis, ne stoicus aut singularis viderer, quam quod istis vtcunque eximiis magnificisque valde delecter. Interim sic elabitur tempus, quod omnium rerum est pretiosissimum, nec quicquam agitur; quod magis agi intersit. Vale faueque. Dabam Berolini 14. Decembr. 1706.

EPISTOLA LXXXVI.

I. *De Werneri oratione panegyrica.* II. *De Regiomontano syncretismo.*

Amplissimi WERNERI orationem panegyricam missu Tuo recte accepi, et exempla suis locis curaui, pro mihi destinato peto ei vt gratias meo nomine multas agas. Mallem Serenissimo Electori alio tempore, post reditum scilicet, quem felicem precamur, oblatum fuisset suum. Nunc enim distractissimum fuisse facile intelligis. Curabo tamen vt aliquando memoria refricetur; et administris aurem vellam.

II. Quid ais, et quid aiunt alii de Regiomontano quodam priuato, vt sic dicam, syncretismo (*) inter duos Pastores in Orphanotropheo, quibus et Ecclesiam huiusmodi ad vnitatem perducere non difficile fuit? Si MYSLENTA aliquis ibi esset, quantos excitaret strepitus. Quidam salse nuper ad me dicebat

non

non vbique Ecclesias ex orphanis consistere. Respondi vicissim per iocum, velle Dominum, vt fiamus instar infantum. Id me Epigrammatis componendi admonuit:

Vos queis Caluinus non conciliandus habetur etc.

Reliquum iam max. Reu. Dn. Abb. SCHMIDIO mitto, qui Tecum communicabit. Quod superest vale faueque. Dabam Hanou. 2. Sept. 1707.

(*) De Regiomontano syncretismo conf. *Relationes innocuae* a. 1707. p. 401. s. et A. 1708. p. 111. s.

EPISTOLA LXXXVII.

Wernerus laudatur.

Ita instititi apud Dn. Ministros status, quibus Serenissimus Elector ante abitum rem ad preces meas commiserat, vt quem vides fasciculum medallionum pro Amplissimo WERNERO acceperim, cui me commendaui, et virum egregium, quem vt par colo, a me quam officiosissime salutari peto. Iudicium eius de variis meis, et praesertim de praefatione Codicis Iuris gentium, qua iuris uniuersalis principia exposui, pergratum aliquando erit. Quod superest vale faueque. Dabam Salzdaliae 14. Sept. 1707.

EPISTOLA LXXXVIII.

De commodis Academiae Helmstadiensis prouehendis consilium.

Libenter intelligo inquisitione in iuuenem illum eruditum Philebraeum THEOPHILVM

instituta, nihil repertum, quod ipsum vel alios grauaret. Ad decus Academiae pertinebat hoc negotium. Multi queruntur Helmstadium apud alios in odium inuidiamque adduci, ob nescio quas nouitates. Sed apud Halenses centuplo plures occurrunt, neque hoc tamen Academiae nocet. Interim fatendum est, posse hac opinione (etsi erronea) impediri laudabile institutum, quod olim in aulis nostris agitabatur, de studiosis harum regionum, in Ecclesiis et Scholis apud nos promotionem quaerentibus, praescribenda lege per aliquod temporis spatium operam litteris apud vos daturis. (*) Nobilissimi WERNERI pergratum fuisse zelum ex responso reali satis apparet. Quod superest vale faueque Dabam. Hanou. 22. Octobr. 1707.

P. S. Has iam scripseram quum Tuas Wernerianasque in illis accepi. Amplissimo WERNERO respondeo, rogoque vt responsionem cures. An aliquid de literis Domini VRSINI Episcopi Serenissimo Duci scriptis ad nostros relatum sit, nondum compertum habeo. De Regiomontano illo facto haud satis edoctus sum hactenus, nec quicquam de eo noui, quam quod scheda quaedam edita in vulgus sparsit. Ex ea non apparet, an Ecclesiae etiam binae orphanotrophii inter se communicarint, vel saltem aliqui ex ipsis, an vero Pastores tantum. Neque exprimitur, an permissione superiorum aulaeue, an proprio consilio haec egerint. Quanquam ego de permissione quadam, si non legali siue solenni certe sufficienti non dubitem.

Imo

Imo ſuſpicer rem ipſis ſuggeſtam, quandoquidem non ab ipſo Epiſcopo commendatur. Quod ſi omnia priuato auſu acta fuiſſent, haud facile alibi Conſiſtoriorum aut Collegiorum approbationem habitura eſſent. Ego optem, non paſtores tantum, ſed et Eccleſias coire, nec priuatim aut ſingulatim, ſed communi conſilio rem agi conficique, de quo non deſperem, ſi modo res, qua par eſt, ratione tractetur. Quinam ZORNIVS FRICKIVSque haud ſatis ſcio.

(*) De hac ipſa lege a potentiſſ. Rege Britann. GEORGIO et a Seren. Ducibus Brunſuicenſ. AVGVSTO WILHELMO et LVDOVICO RVDOLPHO anno 1724. et 1725. lata conf. M. HENR. IO. BYTEMEISTERI Commentar. de Auguſtae domus Brunſuico-Lüneburgenſibus meritis in rem literariam p. 147. f.

EPISTOLA LXXXIX.

De re irenica.

Statim poſt LAVNOII librum de iure Regio circa matrimonium, ad Bibliothecam Electoralem relatum, ſchedula Tua lacerata eſt, vt adeo de noua petitione ſecurus eſſe poſſis. A sereniſſimo Duce, quum nuper hic eſſet, intellexi conſultum a Rege Pruſſiae vel potius ab Epiſcopo VRSINO reſponſum dediſſe, quo ſe cauſae fauere oſtenderet. Sed ea de re ad noſtros nil eſt relatum: et intelligo apud Comitia in deliberationibus Euangelici corporis multos haeſiſſe ad tolerantiam illam mutuam, qua petitur, vt vbique permittatur ſubditis ſtruere

templa alterutrius ritus. Verbo dicam, consilia ante aliquot annos data ſpernuntur, alia plane itur via, nondum praeparatis animis. Quae etſi compendioſior videatur, aegre exitum habebit. Quod ſupereſt vale faueque. Dabam Hanou. 10. Dec. 1707.

EPISTOLA XC.

I: *Schwertnerus quis?* II. *De diuerſis ſcriptis, quae excudi merentur.*

I. Ignotus mihi erat ille, quem memoras SCHWERTNERVS vel gladiator Orthodoxus. Patrem eius fuiſſe ſuſpicor eum, qui me puero erat Profeſſor Lipſienſis, Philoſophus, poſtea ad, neſcio quam, Superintendentiam translatus. Sereniſſimus Dux ſcribillatores facile contemnit: ſed non aeque facile talia a priuatis contemta vindicantur. Praeſtat tamen ſilere, quam irritare crabrones. Vtinam vel nunquam ſcriptum fuiſſet, quale vulgo circumfertur iudicium, vel nunquam cuiquam communicatum.

II. IVVENCVM Poëtam Chriſtianum recudi, OCTAVII etiam FERRARII varia, tum LAVNOIVM de Regia poteſtate circa matrimonium, perutile erit. GEORGIVS FABRICIVS olim poetas Chriſtianos veteres collegit. Nunc poſſet collectio eſſe multo auctior. Nam et Orientium nuper ampliorem nacti ſumus, et VENANTIVM FORTVNATVM BROWERVS produxit, vt taceam alios. LAVNOII opera omnia vellem aliquis nobis daret. Complura enim huius ſunt ſparſa opuſcula ſane erudita. (*)

Ejus

Eius Epiſtolas Angli recenſuere. Quod ſupereſt vale faueque. Dabam Hanou. 27. Decemb. 1707.

(*) Doctiſſimus quidam Gallus, cujus nomen ignoratur, IO. LAVOII opera omnia in quinque Tomos et decem volumina diſtributa propediem editurus eſt. Quod quidem laudabile inſtitutum exequi iam coepit edendo Tomum Imum ſiue duo priora volumina Coloniae Allobrogum 1731. in folio. Quem Tomum ipſe in Actis Eruditorum Lipſienſibus 1731. p. 441. ſeqq. recenſui.

EPISTOLA XCI.

De monumento Lotharienſi.

Intelligo Sereniſſimum Ducem cogitare de monumento Regio Lutherano reſtituendo, id velim quam proxime accedere ad formam antiqui. Itaque quum ſupereſſe putem in illo loco qui viderunt, ante paucos enim annos ruinam paſſum puto, (etſi longe ante a praefecto quodam generali, quos Landroſtos vocant, apertum ſit ſepulchrum) rogo vt inquirere velis apud ſenes loci, quae fuerit forma, quis ſitus iconum LOTHARII Imperatoris, RIXAE Imperatricis et generi HENRICI ſuperbi ducis? an ille ſceptrum coronamque geſtarit? an RIXA et ipſa coronata manu aliquid geſtarit, florem fortaſſe, quo ſitu Dux gladium geſtarit? Item an non Imperator fundator loci manu altera geſtarit templum, vt mos eſt fundatorum? Quodſi aliquis adeſſet, qui ruditer licet dilineare poſſet, aut delineari facere, quod olim vidit; tanto rectius omnia exprimerentur.

tur. Quod superest vale faueque. Dabam Hanou. 6. Ian. 1708.

P. S. Audio eam formam, qua icones sculptae erant in lapide, picturam in tholo expressisse, quae adeo superstes aliquamdiu fuit, etiam fractis iconibus, atque adeo supererunt, qui vel vtrumque, vel certe alterum viderint.

EPISTOLA XCII.

I. *A negotio irenico nihil amplius expectat Leibnitius.* **II.** *De monumento Lotbariensi.*

I. Neque SINCERI Scriptum, (*) neque refutationem *oder Send-Schreiben* vidi; per Magistratum reprimenda esset quorundam hominum audacia. Sed intelligo SCHWERTNERVM, quem memoras, aulam suam habere fauentem. A negotio Irenico, vt nunc est rerum habitus, nil amplius expecto. Ipsa se res aliquando conficiet.

II. Rem praeclaram agis, dum restitutionem insignis monumenti Regio-Lutherani curas. Vellem tamen, quantum pote, accedat, ad formam antiquam, etsi non fallendi posteritatem animo. Nam e re erit, adiici inscriptionem, quae tempus restitutionis exprimat. Non sufficit inscriptionem poni in Tabula. In ipso monumento extare consultum puto, alioqui facile deperibit. Repetatur si placet in tabula ex abundanti. De LOESCHERO hic cogitari parum veri simile est. Quod superest vale faueque. Dabam Hanou. 28. Ianuar. 1708.

(*) INNOCENTII DEOD. SINCERI *Prüfung der* Professionis Tridentinae, *wie solche von der Durchlauchtigen*

tigen Printzeßin ELISABETHA CHRISTINA *von Braunschweig Lüneburg am 1. May.* 1707. *zu Bamberg abgeleget worden* 1707. ſine mentione loci, quo typis impreſſa eſt, in 4to prodiit, atque in Relationibus innocuis ſ. Diario Theologico cuius index: *Alt und Neues* ann. 1707. p. 864. recenſetur.

EPISTOLA XCIII.

De monumento Lothariano.

Video me nondum, vt debebam, Tibi remiſiſſe delineationem monumenti Lothariani, pro cuius communicatione gratias ago. RIXAE vultus paulo auſterior videtur, coetera non malus, et duo Principes LOTHARIVS atque HENRICVS vultu, ni fallor, non ſatis variant, ſed haec leuicula mutatione, ſi opus videatur, facile emendabuntur. Actio RIXAE tunicam tenentis & plicarum adſtrictio, quoque inde orta, quibusdam diſplicuit. Caeterum in his maxime rebus quisque pro guſtu captuque ſuo iudicat. In ſumma ſatis elegans videtur idea. Gaudeo, quod noua Noribergenſis formula ſapientum virorum ſententia locum non inuenit. Copia formularum laboramus. Elegans Tua erit inſcriptio Fontis Lutherani. Ita variis modis Tibi debebimus loci ornamenta. Quod ſupereſt vale faueque. Dabam Hanou. 2. Mart. 1708.

EPISTOLA XCIV.

De differentia inter haereticos materiales & formales.

Fuit mihi nuper diſputatio inter colloquendum. Nam plerique putant noſtros a Pontifi-

tificiis damnari. Ego contra differebam, diſtingui ab iis haereticos materiales et formales, et ab eadem diſtinctione etiam proteſtantes non abhorrere. Habeo quidem nonnulla loca utriusque partis, ſed plura velim diſcere beneficio Tuo, nempe, tam a Pontificiis quam proteſtantibus non damnari niſi eos, qui fundamento ſaluo, malo animo, errores fouent. (*) Non puto a quoquam melius quam a Te talia poſſe nanciſci. Itaque vt mihi in ea re faueas peto. Praeclarus eſt futurus ille liber, quem memoras, dignusque qui edatur. Vale ac faue. Dabam Hanou. 30. Martii 1708.

(*) De differentia, quae inter haereticos formales & materiales intercedit, LEIBNITIVS in epiſtolis ad PELISSONIVM datis p. 290. ſqq. edit. FELLERI diſputat. IO. autem FABRICIVS mitiora Proteſtantium doctorum de pontificiis, et pontificiorum de Proteſtantibus iudicia collegit in *Conſiderationibus Controuerſiarum, quae Euangelicos inter et romano-catholicos Reformatosque agitantur.* edit. ſecundae p. 157. ſeq. et 174. ſeq. Quibus quidem pace B. L. mihi liceat, quae ipſemet huc pertinentia ſcriptorum reperi teſtimonia addere: In praefatione libris noſtris ſymbolicis praemiſſa, pii confeſſores, vbi de condemnationibus, reprobationibus & reiectionibus impiorum dogmatum faciunt verba: *Nequaquam,* inquiunt, *conſilium et inſtitutum noſtrum eſt, eos homines, qui ex quadam animi ſimplicitate errant, nec tamen blasphemi in veritatem doctrinae coeleſtis ſunt, multo vero minus totas Eccleſias, quae vel in Romano Imperio nationis Germanicae vel alibi ſunt damnare* et non ita multo poſt: *Nequaquam enim dubitamus, multos pios et minime malos homines, in iis etiam Eccleſiis, quae hactenus non per omnia nobis cum ſenſerunt, reperiri. etc.* Duplicis igitur ſunt generis, quibus in Eccleſiis, quae a Lutheranis diſſentiunt, ſalus aeterna nequit denegari. Vel enim ex animi ſimplicitate vnice errant, vel etiam, licet in vera viſibi-

ſibili eccleſia vitam non agant, ex verbo DEI tamen de veritatibus coeleſtibus ad beatitatem aeternam conſequendam ſcitu cognituque neceſſariis rectam fouent ſententiam. Atque hoc ipſum etiam B. GOTTLIEB WERNSDORFIVS in diſſertatione de perpetuitate Eccleſiae Evangelicae §. XXX. p. 33. profitetur. *Quo tempore*, inquit, *maxime dominata fuit tyrannis Romani Pontificis, multi haud dubie fuerunt, qui quum per baptiſmum recepti in foedus gratiae conceptam ſemel fidem ſanctius cuſtodirent, nec ſpiritum gratiae et precum, quo fuerant obſignati excuterent, ſed ſimplici potius fide apprehenderent Chriſtum, in eiusque recumberent meritis, et a peccatis grauioribus et contra conſcientiam abſtinerent, vera corporis Chriſti membra manſerunt, aeternumque ſaluati ſunt. Fuit quidem tum temporis Eccleſia multis grauiſſimisque erroribus obruta, verum tamen hos ipſos errores multi vel plane non admiſerunt, aut ſi omnino ſunt occupati ab illis, admiſerunt huiusmodi, qui fundamenta ſalutis directe neceſſarioque non euertebant. Admiſerunt quoque infirmitate magis & per ignorantiam vincibilem, quam voluntate ſtudio ac malitia. Hi proinde clementer ſunt condonati a DEO, in articulo mortis, ob interpellationem filii, qui errores illos non magis iisdem imputare voluit, quam fidelibus peccata infirmitatis, quae omittere non ſemper eſt in poteſtate humana. Fuerunt enim ſaniora et rectiora credere parati, dummodo fuiſſent qui traderent. Errarunt, ſed quoniam aliena magis quam ſua culpa errarunt, per abundantiſſimum Chriſti meritum errores ſunt condonati, et ſanguine ſeruatoris illae veluti maculae elutae, quae hoc tempore, quo meliora ſcire et credere poſſumus, dummodo velimus, eadem facilitate non tranſmittentur.* Quae enim his verbis B. WERNSDORFIVS de hominibus medio ſub Papatu ante emendata LVTHERI miniſterio ſacra tradit, eadem quo minus de hominibus quibusdam noſtra aetate in pontificia eccleſia viuentibus dici queant, nihil obſtat. Etſi vtique fatendum eſt, non tam multos noſtro tempore inuincibili ignorantia excuſari poſſe, quam quidem ante Reformationem. Quum, quae ſingularis ſummi Numinis eſt gratia, lux Evangelii nunc vbiuis fere radios ſuos ſpargat.

Ad pontificios doctores quod attinet, eos nos omnes, qui

qui ab ecclesia sua alieni sunt, damnare ex CATECHISMO ROMANO manifestum est. Ad art. enim IX. Symboli apostol. quaest. 2. *Ecclesia* dicitur *populus fidelis per vniversum orbem dispersus*. PAZMANNVS in Hodeg. lib. VIII. cap. 1. fatetur, illud non esse de essentia ecclesiæ, vt sit coetus sub regimine Romani Pontificis colligatus, nec se priuare posse totum orientem, sub romani Pontificis regimine numquam colligatum, communione Ecclesiae conf. WERNSDORFII diss. cit. §. VI. LEIBNITIVS P. 1. Theodiceae §. XCVI. de doctissimo Iesuita P. FRIDERICO SPEE commemorat, quod in libro, quem de Christianis virtutibus germanico edidit sermone, dedita opera tuitus sit, et illos saluari posse, qui non sint membra ecclesiae pontificiae, modo eamdem ex instituto non impugnent. Eamdem opinionem IACOBVM PAYVAM ANDRADIVM, qui ipse Concilio Tridentino interfuit, suam fecisse in epistola ad Amicum LEIBNITIVS obseruat, quam in Miscellaneis LEIBNITIANIS a celeberrimo IOACH. FRIDERICO FELLERO editis p. 105. & 106. reperias.

Omnes tamen pontificii doctores eodem modo de ecclesiis a sua dissidentibus non iudicant. BELLARMINVS lib. III. de Eccles. cap. 2. *Ecclesiam* definit, quod sit *coetus hominum eiusdem christianae fidei professione, et eorumdem sacramentorum communione, sub regimine legitimorum Pastorum, et praecipue vnius Christi in terris vicarii Romani Pontificis, colligatus.* Neque desunt praecipuae dignationis pontificii doctores, qui BELLARMINI sententiam suam faciunt. Inter quos GREGORIVM de VALENTIA, BECANVM, LESSIVM et alios numeres.

EPISTOLA XCV.

De Responso Theologorum Helmstadiensium.

Literas nuper accepi a D. BANAGIO Theologo apud Roterodamenses scripta, celeberrimo fratre eius qui operum eruditorum historiam

ſtoriam diarii forma edit, quibus ex me deſiderant, quid veri inſit rumori de Helmſtadienſium Theologorum reſponſo, quod Triuultiani ſuo diario (Memoires des Treuoux) etiam inſeruere, multumque ea de re iactant. Et quantum intelligo in opere aliquo ſuo tangere et examinare ſcriptum, calumniamque a Proteſtantium Eccleſiis amoliri cogitat. Ego illi ſignificabo, a vobis vno ore, reiici et longe amoueri hoc ſcriptum, ſi quid tamen voles praeterea monere vna cum Dominis Collegis, exſpectabo monita. Circumſpecte enim reſpondendum erit, quum futurum augurer, vt, quae reſpondebo, publice compareant. Schedas Tuas per hominem Tibi notum et ad vos proficiſcentem rite Tibi redditas non dubito. Quod ſupereſt vale faueque. Dabam Hanou. 4. ſept. 1708.

P. S. Addit ex Anglia aliisque locis hac de re ad ſe ſcriptum eſſe, remque multum ſtrepitum excitare.

EPISTOLA XCVI.

De nimia indulgentia Helmſtadienſi Academiae obiecta.

Agitari aliquid, quale memoras, ex ipſo Sereniſſimo Duce intellexi. Ad eum res omnis redit, certe ipſo inuito non fiet, nunc adeundum compellandumque cenſeo, nam mihi viſus eſt nihil dum conſtituiſſe. Proteſtaſtationem nondum videram, et pro ea gratias ago. Recte facit inclyta Facultas, quod a ſe remouet, quae in vulgus ad offenſam noſtro-

rum ſparſa ſunt. Sed video, plerosque aliquid amplius poſtulaturos, nempe vt declaretur, non tantum quid non ſentiat, ſed etiam quid ſentiat? Ea declaratio, ſi ſtet intra limites CALIXTI et HORNEII, excellentium virorum, et Principibus ſui temporis probatiſſimorum, facile orthodoxorum allatrationes contemnet. Atque id erat, quod nuper dicebam, aliquo Apologetico opere opus videri, ad rem praeſentem accommodato, et e re fore, vt loca parallela CALIXTI et HORNEII adducantur. Ipſos Anglos turbatos fama nimiae indulgentiae et Epiſcopos quosdam hoc non diſſimulaſſe intelligo, quod ad aulam noſtram relatum eſt, tanquam nocere poſſet. (*) Vides, quo talia porrigantur SONNEMANNI et ſimilium ſcripta, quamquam vt ab ipſis, non mala, inter noſtras tamen magis nocent.

Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget.

Reprehenſiones Pontificiorum inſtitutorum diſſimulandae non ſunt, quemadmodum nec a CALIXTO ſunt diſſimulatae. Aliud eſt, quid damnandum ſit, aliud quid ſuadendum, multa ferimus, quae non conſulimus, et quae, ſi per nos ſtaret, impediremus. Intereſt profecto Eccleſiae proteſtantium autoritatem Academiae Helmſtadienſis conſeruari, quae coeteris moderationis et prudentiae Chriſtianae facem praeluxit. Nihil itaque omitti velim, quod in eam rem faciat. Opus autem eſt autoritate Principum, quae nec deerit iuſtiſſimae cauſſae; modo illi rem probe cognoſcant, quae etiam ad ipſo-

ipsorum decus et vtilitatem pertinet. Quod superest vale et saue. Dab. Hanou. 17. Sept. 1708.

(*) Quum serenissima Princeps Brunsuicensis ELISABETHA CHRISTINA, nunc augustissima Imperatrix anno 1707. pontificiam religionem deserta Lutherana amplecteretur, iudicium a Theologis Helmstadiensibus de transitione a religione Lutherana ad pontificiam licita vel illicita? requisitum est. Quid Theologi Helmstadienses tum statuerint, quantum equidem memini, non satis constat. Prodiit tamen scriptum, cuius index: *Declaratio Helmstadiensium Theologalium, de discrimine exili Lutheranam inter et Romanam Ecclesiam, transituque ad romanos ritus non illicito.* Quod, Coloniae primum editum, deinde vero saepius recusum, atque etiam Commentariis Triuoltianis (Memoires des Treuoux) an. 1708. p. 900. seqq. insertum est. In illo non solum pontificii errores consulta opera defenduntur, atque statuitur, dissensum inter Lutheranos atque pontificios esse nullum, verum etiam docetur haud illicitum esse, missa facere Lutheranorum sacra, et pontificiam religionem amplecti. Exempli caussa quaedam verba ex illa Declaratione afferam: *Domina*, inibi dicitur, *Wolfenbütlensis Principissa hoc potest facere* (religionem Lutheranam cum pontificia permutare) *praecipue, si ad hoc consideretur, primo, quod se ipsum ad illud matrimonium* (cum augustissimo Imperatore CAROLO VI.) *non obtulerit, nec offerri curauerit; verum quod hoc ei absque dubio ex diuina sancta prouidentia fuerit propositum. Secundo, quod huiusmodi connubium, non solum Ducatui vnde est oriunda, verum etiam Protestantium religioni, et forsitan diu speratae Ecclesiarum pacificationi queat esse vtile. Verum in eo vigilandum, vt non constringatur ad eiurandam suam religionem, et vt illi non proponantur tamquam articuli ad credendum necessarii, illae controuersiae et dubia, quae sunt altioris indaginis, verum vt informetur in breui simplicitate etc.* Non poterat non haec declaratio Protestantibus maximopere displicere; quorum principiis nihil magis quam ea ipsa aduersatur. Praecipue autem Anglos Theologos de licita ab Euangelica ad Papaeam religionem transitione opinatio offendebat. Qui

I 2 inter-

interprete secretario Societatis de propaganda fide ad Theologos Lipsienses, Ienenses et Vitembergenses dederunt litteras, quaerendo inuestigaturi, an omnia ita sese haberent, quae de Helmstadiensium Theologorum cum pontificiis Syncretismo in Anglia dicebantur? ANDREAS etiam SNAPIVS, Theologus Cantabrigiensis, qui vna cum IO. FABRICIO Francofurtensis Academiae Iubilaeo interfuerat, ad IO. FABRICIVM eadem de caussa dabat epistolam. FABRICIVS enim praecipuus huius Declarationis auctor habebatur. Sed nec defuere sibi Helmstadienses Theologi, qui hanc ipsam Declarationem suam noluerunt agnoscere. Sigillatim IO. FABRICIVS in *epistola ad pios et eruditos Britannos* Helmstadii 1708. 2. plag. in 4. edita publice profitetur, Theologis Helmstadiensibus et sibi perperam *Declarationem* illam attribui. Idem in epistola ad A. S. h. e. ANDREAM SNAPIVM Doctorem Anglicanum data suam et Helmstadiensium Theologorum famam tuetur, et refert, quid de transitu ab Euangelica religione ad pontificiam sentiant: *Interim*, inquit, *nos sequimur sanam, et a maioribus traditam atque ad nos transmissam doctrinam, nempe, quamuis non censeamus, Pontificios sua fidei professione plane destruere fundamentum veritatis salutaris, aut spem salutis omnibus communioni eorum adhaerentibus adimamus, propter multos tamen enormes errores, et periculosos abusus, quibus sunt impliciti neminem melius informatum ad eos deficere debere.* Non tulere hae epistolae Fabricianae omnium Theologorum plausum. Neque defuere qui multa in iis desiderarent. E quibus praeter Theologos Tubingenses, qui singulari scripto FABRICIO contradixerunt, cel. IO. FRICKIVM nominasse sufficiat, qui in epistolica diatribe ad THOMAM ITTIGIVM, cuius index: *Britannia rectius de Lutheranis edocta* Vlmae 1709. ed. ex instituto id agit, vt FABRICII epistolas ad Britannos et ad SNAPIVM datas impugnet. Id quod iam antea fecerat singulari scriptione sub WARNEFRIDI nomine edita, cuius index: *Reifere Erörterung der Fragen ob unter der* A. C. *und Römischcatholischen Religion kein sonderbahrer Unterscheid sey?* *wieder* IO. FABRICIVM 1704.

1704. in 4. conf. *Relationes innocuae* 1707. p. 335. et 1712. p. 528.

EPISTOLA XCVII.

De Helmstadiensium Theologorum Responso.

Etsi vulgi sermone celebretur; non esse sapientis dicere, non putabam; Ego tamen non putabam, Tibi responderi potuisse iniustum esse processum, sed tamen ferendum. Video non plus Tibi quam aliis obiici posse, planeque duorum aliorum responsa Tuis consentire. Interea omnino sentio, responsa huiusmodi ad secundam praesertim quaestionem summo studio supprimenda esse, nec sine maxima offensione publicari posse. Nam quae ad primam dicta sunt, nil habent, quod non a multis nostrorum publice dictum comprobatumque sit, secundae autem quaestionis affirmatio (quantum scio) apud protestantes Theologos sine exemplo est. (*) Apud Anglos Theologos magna facta est rerum conuersio inde ab expulsione Iacobi II. Nam quae olim Gvilielmvs Forbesivs docuit, ea omnia paucissimi hodie probabunt, nec nisi suspecti Papismi vel certe nimiae ad papatum inclinationis. Ipsi Episcopi plerique hodie non admodum Episcopales habentur, a Presbyterianorum sententiis multo minus quam olim recedunt. Archiepiscopi Cantuariensis Episcopalitas pene per ironiam in prouerbium abiit. Adeo quidam est sententiarum fluxus et refluxus. Meministi in Tuis literis Responsi cuiusdam

FRIDERICI VLRICI CALIXTI vestris ὁμοψήφῳ, id quando aut qua occasione datum sit nosse velim. Rectissime facitis, quod reiicitis et a vobis profecta negatis, quae vobis inuitis non nisi interpolata prodiere. Dicis, talis facti exempla haberi in CALIXTO, CONRINGIO, MVSAEO, HACKSPANNIO et aliis, quae qualia sint, quum ad historiam nostrae Ecclesiae pertineant, nosse itidem desidero. Quae communicasti statim, vt iubes, remitto. Scribit mihi quidam Lipsiae, sermonem illic esse de LYSERO nostro ad supremi concionatoris aulici munus Dresdam vocando. Dubito tamen, an rumor veritate nitatur? Quod superest vale faue. Dab. Hanou. 22. Sept. 1708.

P. S. Etsi responsum Tibi sit, quod dicis, ego tamen non desperauerim de temperatione rei. Has reddet tibi notus, qui apud Dn. Consil. Aul. HATTORF diu egit, nunc Halas Ienamque profecturus, vbi aliquamdiu aget.

(*) In *Declaratione*, quae Theologis Helmstadiensibus tribuitur, ad duas respondetur quaestiones. Prior est, an dissensio inter pontificios et Euangelicos sit fundamentalis. Posterior, vtrum licita sit a religione Euangelica ad pontificiam transitio?

EPISTOLA XCVIII.

De Snapii ad Fabricium de Responso Theologorum Helmstadiensium litteris.

Malitia hominum magis magisque inflat follem calumniae contra Facultatem Theologicam vestram. Mitto ecce, quae misit Dn. IABLONSKIVS literas SNAPII ad Te datas Londino

dino; quibus ipse IABLONSKIVS ad me scribens addit: nouellis publicis aut simili libello circumforaneo insertum esse illud, quod vobis imputatur responsum. Quod haud dubie maligno consilio eorum factum est, qui domui Brunsuicensi inimici sunt, successionemque ei delatam conuellere vellent, sparsa in vulgus opinione quasi religionem parum curaret, quia amplius eadem septimana accepi litteras BANAGII Theologi Roterodamensis per insignia opera celebris, (cuius Frater Dn. BEAVVAL historiam operum eruditorum diarii forma edit) quibus a me quaerit, quid de fama illa vobis aduersa sit sentiendum? Nam ex Gallia Angliaque ad se ea de re scribi, et omnino retundendam esse pontificiorum iactationem. Itaque rogo, vt cum Dominis Collegis SCHMIDIO et WIDEBVRGIO, viris insignibus, ea de re communices, et mihi sententiam vestram perscribas. Et quod SNAPIO responsurus es prius (si placet) mihi legendum praebeas, res enim non parui est momenti. Ego quid BANAGIO responsurus sim, etiam vobis mittam. Nunc Tabellarius non expectat. Vale faueque. Dab. Han. 9. Octobr. 1708.

EPISTOLA XCIX.

De Responso quod Theologis Helmstadiensibus tribuitur.

Gaudeo IABLONSKIVM, HARDTIVM, et Te quoque ipsum liberatos sollicitudine de Codice Hebraico. CAROLVS LVDOVICVS Elector Palatinus Theologos suos non consuluit

ſuluit. F. V. CALIXTVM et Ienenſem GOEZIVM talia reſpondiſſe ignoraui. Loqueris quaſi reſponſa eorum edita eſſent. Licetne videre? Saltem Sereniſſimus Dux facile ea procurabit. Non poteſtis nimis reiicere ſcriptum illud infelix: reiicimus aliquid etiam ob partem, ob formam, ob circumſtantias. Recte feciſti, quod Hanouerae de Anglicano Nouellatore queſtus es. Recte facies atque ordine (meo iudicio) ſi petas (niſi petiiſti) vt cogatur nouellator ille per retractationis modum veſtram proteſtationem ſuis inſerere Nouellis, aliaque addere, quae in rem videbuntur. Apud BANAGIVM quoque ſimplex reiectio et proteſtatio e re erit. Nec dubito vos omnes agnouiſſe, pro parte etiam monuiſſe, magnos in Eccleſia Romana abuſus regnare, nec periculo vacantes; etſi a Romanenſis communionis homine accedente Dei gratia vitari illa pericula, ſalutemque obtineri nihil prohibeat; fundamento ſaluo. (*) In hunc ſenſum paſſim noſtros loquutos conſtat; et in his inprimis GEORGIVM CALIXTVM, qui etſi prae coeteris vrſerit, fundamentum Romanis ſaluum eſſe, non eo minus tamen Romanos errores abuſusque acriter coarguit. Ita vos quoque vel loquutos vel certe ſenſiſſe credendum dicendumque eſt. Quod ſupereſt vale faueque. Dabam Hanou. 11. Octobr. 1708.

(*) Quum LEIBNITIVS h. l. defendat, in pontificia doctrina ſaluum eſſe fundamentum fidei, tantum negare videtur eiusmodi fundamentales errores in Eccleſia Papaea doceri, qui non poſſint non euertere fidem eorum, qui

qui errores istos fouent. In hac ipsa enim epistola profitetur in pontificia doctrina inueniri errores periculi plenissimos, quos et nonnulli fundamentales appellare solent. Mihi animus non est hanc ipsam viri summi opinationem meam facere et data opera propugnare. Diffiteri enim nequeo mihi vtique nonnullos pontificios errores ita comparatos esse videri, vt eorum, qui serio eosdem amplectuntur, fidem non possint non euertere et neruos omnes verae pietatis elidere. e. g. ad concilii tridentini de sacrificio missatico sententiam prouoco. sess. enim XXII. Concilii Tridentini can. III. p. m. 160. *Si quis dixerit*, inquiunt Tridentini Patres, *Missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro viuis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.* Quodsi sacrificii missatici beneficio eadem ratione qua demortuis nobis conceduntur peccata; possumus ex opere operato remissionem peccatorum consequi. Quid igitur opus est seria poenitentia, quae tamen nisi antecedat, fides in IESVM CHRISTVM veri nominis sequi nullo modo potest. conf. *Formula Concordiae* p. 591.

EPISTOLA C.

De epistolis Fabricii ad Britannos et Andr. Snapium.

Literae ad SNAPIVM placent: defensio ad Britannos non aeque satisfaciet. Nam plerisque (ni fallor) videbitur, non sufficere interpolatum aut deformatum dici scriptum et inuito autore editum etc. aut allegari eum, cuius nutus pro imperio est. Nec CALIXTI et HORNEII scripta fauent per omnia; qui ad quaestionem secundam affirmatiue non responddissent. Nec apparet, mirificum in dogmate inter vos omnes fuisse consensum. Episcopi

Angliae hodierni plerique plane alieni sunt a WILH. LAVDI et WILH. FORBESII sententiis, quae hodie vix nisi Iacobitis placere creduntur. PARKERVS habitus est Papismi suspectissimus et aulae nimis obsequens sub IACOBO II. Horum ergo citatio magis noceret. Putem ego quaedam literis ad SNAPIVM addi posse, quaedam detrahi, ipsumque rogandum, vt communicet eas cum amicis; quaedam in iis omitterem v. g. verba (sed quis scit, an non etc.) vsque ad verba (atque esto murus) Ad verba: quamuis nec Pontificii errent in fundamento, omitterem notam marginalem, quae sub finem scribis de coruis Eliae in schedam separatam instar P. S. coniicerem. Hoc ipso momento nouellas manuscriptas video ex Batauis missas, in quibus lego haec verba: l' Archeveque de Canterberi n' est pas content de la declaration de l' Vniuersite de Helmstädt, puisqu'elle ne contient pas qu' elle abhorre le Papisme. Adduntur alia adhuc duriora. Hoc mihi (fateor) visum semper est, protestationem vestram non sufficere; quia dicit solum, quid non feceritis, non quid sentiatis. Epistola Tua ad SNAPIVM magis in rem est, quam vbi renideris etiam BANAGIO mittam. . Ego hac libertate vsus sum, vt quaedam allinerem, quaedam delerem, Tuo rem iudicio relinquens. Sed rogo, vt mihi schedam ipsam Tui ad SNAPIVM conceptus remittas, quo eam destinam ob illita: quia fortasse hinc Brunsuigam mox proficiscar, rogo vt literas mihi destinatas Domino Magistro postae Serenissimae Domus

Po-

POLICHIO commendes, in ſuperſcriptione ſeruandas dum petam Abſurdum quidem argumentum a reſponſo veſtro ad ſucceſſionem Hannoueranam ſumeretur, ſed ſcis apud imperitos, quale eſt omne vulgus, et late interdum vulgus porrigitur, interdum et abſurdiora valere. Omne noſtrum in Brittanniam ius in religionis Romanae excluſione odioque fundatum eſt. Itaque merito fugienda ſunt, quibus in Romanenſes tepidi videremur. In litteris ad SNAPIVM inter alia deleui vocem promiſcuo, quum repellis calumniam, quaſi reſponſum de licito promiſcuo ad Romanenſes tranſitu dediſſetis. Nam ex tam reſtricta negatione inferetur argumento a contrario ſenſu: Vos ſaltem de licito Principis nunc Reginae tranſitu reſpondiſſe, quod non factum arbitror, nec concedendum. Neque enim is niſi ex iure conſcientiae erroneae excuſari poteſt, quod non eſt ſimpliciter rem licitam declarare. Quod ſupereſt vale faueque. Dab. Hanou. 15. Octobr. 1708.

EPISTOLA CI.

I. De epiſtola ad Britannos. II. Fabricio e numero Theologiae Profeſſorum excluſo Ephoria deſtinatur.

I. Optime factum puto, quod Tuas SNAPIO deſtinatas ad IABLONSKIVM miſiſti. Itaque alteras ad me miſſas reſtituo. Redit et ad Britannos Epiſtola, qua ſuperſederi malim. Temporibus IACOBI I. CAROLI I. florentis, CAROLI II. IACOBI II. ſcribi for-

te poterat. Nunc alius eſt Theologis ipſis Epiſcopalibus habitùs animorum, et vt nuper notaui, Gvil. Forbesivs et Parkervs, quos citas, parum ipſis probantur.

II. Sereniſſimus Dux mihi dixit nihil emolumentis Tuis detractum iri, et credendam Tibi pro exercitio profeſſionis aliam curam vtilem, nempe Ephoriam. De quo laetor. Quod ſupereſt vale faueque. Dabam Brunsuigae 3. Nouembr. 1708.

EPISTOLA CII.

I. De manducatione indignorum. II. Eccardi ſcriptum contra Imhofium improbatur.

I. Gaudeo Te valere et mei meminiſſe, pro munere recuſae diſſertationis de peccato Infantum celeberrimi Zeidleri, quae mihi docta et ſolida videtur, gratias ago. De epiſtola illa principis, rem vt geſta fuit intellexiſſe gratum eſt. Quaeſtio de manducatione indignorum non magni eſt momenti, ſed ſolent plerique omnia ad formulas exigere, vt, ſi quis Theologus inde latum vnguem diſcedat, ſtatim periclitetur. Dn. Langii viri docti, vt audio, et boni vicem doleo.

II. Dn. Eccardvs me plane ignaro, addo et inuito, programma ſuum contra Imhofivm, virum inſignem publicauit. Maluiſſem ſaltem eius nomine abſtinuiſſet, praeſertim, quum non tam ſuam feciſſet ſententiam, quam fide ſcriptoris Itali prodidiſſet, vt ipſe olim in literis ad me ſcriptis teſtatus eſt. Itaque nolim

lim putet programma me conſcio ſcriptum; velimque hoc ipſi innoteſcere. Quod ſupereſt vale faueque. Dabam Han. 13. Ian. 1710.

EPISTOLA CIII.

I. *Ferrarii laus.* II. *De ſcriptis occaſione Reſponſi Theolog. Helmſtad. editis.* III. *Fabricius hiſtoriam Theologiae litterariam illuminare ſtudet.* IV. *De P. Longi Bibliotheca ſcripturaria.* V. *De ſcholarum emendatione cogitat Fabricius.* VI. *Compendia diſciplinarum philoſophicarum deſiderantur.*

I. OCTAVII FERRARII opera doctrinae et elegantiae plena collecta proſtare reipublicae litterariae intereſt. Iudicia eruditorum, quibus commendetur lectoribus, nec neceſſaria, et quae iam habes ſufficientia ſunt. Ego talia ſuppeditare non poſſum, haud ſolitus obſeruare, niſi quae prodeſſe poſſe arbitrer, obrutus alioqui multitudine et varietate lectionis. Malim notari, quae ad vitam viri pertinent.

II. Vidi collectanea quaedam gallice in Batauis edita, de iactata Helmſtadienſium declaratione, quae etſi tolerabiliora viſa ſint iis, quae alias ſparſa vidi, non carent tamen naeuis, quorum nonnulla et mihi occurrerunt. Bono conſilio ſcripſiſſe videtur autor, vt Pontificiorum gloriationes retunderentur, ſed debebat cum Helmſtadienſibus communicare, et Tecum inprimis, antequam talia ederet. Suſpicor autorem eſſe BANAGIVM Theologum Roterodamenſem. (†) Nam is aliquando literis ſcriptis me de hoc negotio interrogauit. Reſcripſi

psi vobis iniuriam fieri. Quinam essent WALENBURGII, non intellexit, putauitque, esse ciues cuiusdam oppiduli Walenburg, prope Basileam. Puto tibi visum, quae quidam Louaniensis Dominicanus, dictus THOMAS DES IARDINS, contra illam vobis imputatam declarationem scripsit contrario plane consilio. Nam veretur, ne sententia, quae negat dissensum esse fundamentalem apud Pontificios, plausum inueniat, vnde damnum Ecclesiae suae ominatur. Quum ergo idem suae vereantur Zelotae nostri, ego compensandos metus esse iudico, neque hinc alterutri parti damnum, nisi per accidens, nasci posse.

III. Rem praeclaram facies, si per otium historiam literariam Theologiae exornare voles. Id enim nemo Te melius possit. Suffecerit recentiorem, i. e. a Reformationis tempore Tibi curae esse. (*) Nam Scholasticae Theologiae historiam condi alius fuerit labor.

IV. P. LONGVS ex oratorii Parisini congregatione molitur bibliothecam scripturariam. Specimen iam edidit de editionibus biblicis, in eo opere viros omnes doctos paucis exhibebit, qui in scriptura sacra illustranda operam posuere. (**) Catalogum confecit pro Germanis peculiarem, et ad me misit, vt corrigatur et suppleatur. Habuere eum in manibus IOANNES FRIDR. MAYERVS, et POLYCARPVS LYSERVS, et passim emendarunt et auxerunt, sed non dubito, quin plura a Te addi possint atque admoneri. Itaque afferam mecum quamprimum Helmstadium adibo

dibo et in complures ſeptimanas Tibi relinquam, fortaſſe et Dn. Abbas SCHMIDIVS et Dn. de HARDT aliquid vtile conferre poterunt. Sed opus eſt vt manuſcriptum ante proximae quadrageſimae decurſum recipiam; quo ad nundinas Francofurtenſes mittere poſſim, vnde Lugdunum deferetur. Quod ſupereſt vale faue. Dab. Hanou. 21. Nou. 1710.

V. P.S. Vtiliter a Te cogitari intelligo de emendatione ſcholarum. Video paſſim deeſſe ſcholis bonos doctores, qui latine graeceque ſint docti, vt par eſt, adeo iam ſuperficiarium quoddam docendi genus inualuit.

VI. Deſunt nobis hodie bona compendia Logices, Phyſices, aliarumque partium philoſophiae, ne quid de Matheſis partibus dicam, de quibus non male nuper WOLFIVS amicus meus Halis Saxonum etſi germanica lingua meritus eſt.

(†) Conf. ep. CV. vbi LEIBNITIVS ſcriptum, quo Gallicae Commemorationes, de quibus hac epiſtola verba facit, perſtringuntur, BANAGIO tribuit. Mutauit igitur ſententiam ſuam, quam h. l. profert. Neque etiam videntur grauiſſimi errores, quos hac ipſa epiſtola recenſet, doctiſſimo BANAGIO poſſe adſcribi.

(*) De hiſtoria theologiae litteraria IO. FABRICIVS optime meritus eſt edita *Hiſtoria Bibliothecae ſuae*, cuius partes VI. ab anno 1717. ad annum 1724. publicae luci ſunt expoſitae. Idem partis VII. et VIII. editionem iam meditabatur, ſed fata ſuprema conſilium Eius obturbarunt. A doctiſſimo igitur FABRICII filio Helmſtad. Acad. Profeſſore exſpectamus, vt eas cum erudito orbe propediem communicet.

(**) IACOBI LE LONG *Bibliotheca ſacra, ſeu ſyllabus omnium fermè ſacrae ſcripturae editionum ac verſionum,* *ſecun-*

secundum seriem linguarum, quibus vulgatae sunt, notis historicis et criticis illustratus, adiunctis praestantissimis codicibus manuscriptis Parisiis 1708. primum prodiit. Anno autem sequenti Lipsiae in 8. longe meliori forma haec Bibliotheca sacra lucem adspexit. Nam summe venerabilis CHRISTIANVS FRIDERICVS BOERNERVS *totum opus cum additamentis suo loco in noua hac editione collocatis, recensuit et castigauit, nouis praeterea editionibus, versionibus, codicibus manuscriptis, notisque auxit.* Sed et ipse doctiss. le LONG *Bibliothecam* suam *sacram* altera parte, quae notitiam auctorum, qui scripturam sacram vel aliquam eius partem illustrarunt, exhibet, auctiorem Parisiis duobus Tomis in fol. recudi curauit. Qua quidem editione licet omnibus suam de studio theologiae exegeticae bene merendi voluntatem satis superque probauerit, iure tamen meritoque multis in locis Eius desideratur accuratio. Proinde nihil habet dubitationis, quin doctissimus hospes meus M. IO. CHRISTOPHORVS ORTLOBIVS, qui a multis annis eiusdem argumenti Bibliothecam sacram meditatur, LONGIO palmam sit redditurus ambiguam. Eius enim institutum est, summam in enumerandis scriptis exegeticis seruare ἀκρίβειαν, et vel ea recensere, quae ipsemet suis subiecit oculis, vel minimum indicare, vnde constet hoc vel illud scriptum publicae luci esse expositum.

EPISTOLA CIV.

Errores recensentur, quos Leibnitius in gallicis quibusdam Memoires deprehendit.

Nuperas meas recte redditas puto. Quum nuper libellum Gallicum ad vestra pertinentem percurrissem, haec festinans notaui, quae mitto hic et remitti peto, si alios notaueris errores, eos nosse gratum erit. Miror Cacoethes scribendi de rebus non bene exploratis. Spero quamprimum ire Guelfebytum, atque inde

inde ad vos excurrere, ſeptimana fortaſſe ſequente. Ibidem quibusdam non ingratis colloquendi occaſio erit. Quod ſupereſt vale faue. Dabam Hanou. 28. Nou. 1710.

Dn. LEIBNITII iudicium.

Ie ſouhaiterois, que l'Auteur des memoires ſur la pretendue declaration de l'Vniuerſite de Helmſtadt eut conſulte encor plus, qu'il n'a fait, les perſonnes informees, pour euiter quelques erreurs de fait.

Pag. 8. Ce fut l'Electeur Palatin en perſonne, qui ſollicita la princeſſe d'Ansbach a la Cour de Weiſſenfels, ou ils ſe rencontrerent, ſon Confeſſeur P. Vrban la ſuiuit a Berlin. C'eſtoit un homme, qui auoit de la habilite et de la moderation, declarant meme, qu'on ne condemnoit point les Proteſtans, quand l'erreur eſtoit ſans malice. Mais la Princeſſe, bien inſtruite de la Religion, reſiſta a ſes inſinuations. Celuy, qui alla a Wolffenbüttel, ne fut point le meme, mais tout un autre, qui a ſuiui la Princeſſe en Eſpagne. M. Löſcher n'eſt point Docteur de Leipzig (comme il eſt dit p. 60.) mais de Wittenberg, et M. Schwerdtner eſt un Superintendant dans la Saxe. M. Edzardi de Hambourg, n'eſt point Docteur, que je ſâche. Son trop de Zele contre les Reformes a eſte deſapprouue par vne lettre, que le Corpus Euangelicum a ecrits au Magiſtrat de la ville.

Il eſt dit. p. 83. que Mr. Molanus a eté Profeſſeur en Theologie a Erneſt. At Acad. Rintelienſis Erneſtina vocatur a cauſe de ſon fon-

dateur. Ayant nomme Meſſ. de Walenbourg p. 169. on fait vne note a la marge, qui vient nullement au fait, et en diſant, que Wallenbourg eſt vne petite ville pres de Bale, il ſemble, qu'on a cru, que c'eſtoient le gens de cette ville, qui auoient ecut pour la religion Romaine. Mais Adrian et Pierre de Walenbourg etoient deux freres, Hollandois de naiſſance, de la religion Romaine l'un ſuffragan a Cologne, l'autre a Mayence, qui ecriuoient en commun des liures de controuerſe contre le Proteſtans.

Pag. 177. Choſe erronée, comme ſi Monſeigneur le Duc auoit un deſſein d'aller a Bamberg, pour y faire profeſſion de foy le vendredi ſaint.

EPISTOLA CV.

I. *De Octauio Ferrario.* **II.** *De Reſponſo Theologico Helmſtadienſi.*

I. Vix reliqui Helmſtadium veſtrum, humaniſſimae conſuetudinis Tuae velut ſale conditum, quum domi nouam referendae Tibi gratiae materiam inueni. Aperto enim faſciculo, quo iucundiſſimum Tuum munus, Ferrarius, inuoluebatur, pene ad lectionem eius velut ad Sirenum ſcopulos obhaeſi. Bonam partem videram olim, ſed poſt tot annos redit nouitas antiquis. Et eſt laetum viro ac floridum dicendi genus, medium inter oratorem et poetam, quod rapit animum, nec facile lectorem dimittit. Itaque vi opus fuit,

vt mihi redderer negotiisque. Nec distuli ad Te scribere, vt intelligeres, quam auide gustarim has dapes, et quam aegre reliquerim. Inofficiosum mihi testamentum videtur, quo labores suos posthumos reipublicae negauit. Quin ipsum crediderim, haec suprema mandata sua seruari non satis voluisse. Alioqui cur reliquit libros in scriniis, cur non certiore vetandi genere flammis aboleuit? Miror tam pauca et tam persunctoria insignis viri elogia haberi. Nam si multa alia extarent, facile MAGLIABECCVS suggessisset. Quum alieni hodie sint Itali ab his elegantiis, id maxime arguit, quod non satis agnoscere videntur, quantum in FERRARIO amiserint.

II. Gratias etiam ago pro libello, quod Gallicas commemorationes Helmstadiensis causae perstrinxit. (*) Meretur veniam beneuola in Iulios mens scriptoris, quisquis fuit, BANAGIVM fuisse suspicor, sed tamen reipublicae intererat vindicari veritatem. Vnum obseruo, Rinthelensem Academiam non ab ERNESTO Hasso, sed ab ERNESTO Schaumburgico fundatore Ernestinam dici. Nam Schaumburgiis demum extinctis locus ad Hassos deuenit. Quid porro moliare (neque enim inerti otio tempus fallis) semper discere gratum erit. Ex OVERBECKIO intelligo vtilia a Te agitari ad rei scholasticae emendationem. Vale faueque. Dabam Hanou. 26. Ian. 1711.

P. S. Nihil intellexi hactenus de morte CLERICI, quam nollem. LETA, uxoris eius soror, LETI Itali filia, quae aliquamdiu apud

Dn. KIELMANNSECKIAM egit, dudum ad Batauos rediit.

(*) LEIBNITIVS h. l. procul dubio verba facit de A. CANDIDI *iudicio de memorabilibus Declarationem Helmstadiensem concernentibus*, quod Lipſ. 1710. prodiit et in *relationibus innocuis* 1711. p. 372. recensitum est.

EPISTOLA CVI.

I. *Peterſenius laudatur.* II. *De carmine epico de vita aeterna conficiendo Leibnitii conſilium.* III. *De Banagii dialogis Gallicis de controuerſiis cum pontificiis.*

I. Gratias Tibi multas ago, quod pulcherrimum Carmen Peterſenianum ad me miſiſti: ago etiam per Te auctori, viro plane inſigni, Theologo profundo ſimul et poetae mirifico. Ego enim, etſi non vbique aſſentiar, meditationes tamen eius magnifacio.

II. Saepe mecum cogitaui, (*) a nemine melius, quam ab ipſo Carmen Vranium vel potius titulo Vraniados condi poſſe, quod iuſto opere, ad Virgilianam menſuram, ciuitatem Dei et vitam aeternam celebraret. Incipiendum eſſet a Coſmogonia et Paradiſo, quae librum primum vel primum et ſecundum complecterentur. Tertius, quartus, quintus, ſi ita videretur, darent lapſum Adami et redemtionem generis humani per Chriſtum, et Hiſtoriam Eccleſiae perſtringerent. Inde poetae ego certe facile permitterem libro ſexto deſcriptionem regni millenarii, et ſeptimo irruentem cum Gogo Magogoque, euerſumque tandem diuini oris ſpiritu, Antichriſtum. Tum octauo haberemus

diem

diem iudicii, poenasque damnatorum; nono autem, decimo et vndecimo felicitatem Beatorum magnitudinemque et pulchritudinem Ciuitatis Dei et felicium habitationis discursationesque per immensa vniuersi spatia ad lustranda mirifica opera Dei; accederet et descriptio ipsius Regiae coelestis. Duodecimus concluderet omnia per ἀποκατάστασιν πάντων, malis ipsis emendatis et ad felicitatem Deumque reductis, Deo iam omnia in omnibus sine exceptione agente. Haec commode ingrederetur suo passim loco sublimior quaedam philosophia Theologiae mysticae mista, vbi de rerum fontibus ageretur, ad LVCRETII, VIDAE et FRACASTORII modum. Et poetae indulgerentur, quae difficilius ferrentur in dogmatista. Tale opus immortalem praestaret auctorem et mirifici vsus esse posset ad animos hominum mouendos spe meliorum, et verioris pietatis igniculos suscitandos. Haec a Te ingeri Viro optem, cum efficacibus hortamentis. Vale et faue. Dab. Brunswigae 3. Sept. 1711.

III. P.S. Videris, opinor, dialogos a BANAGIO nuper gallice scriptos de controuersiis cum pontificiis, vbi inter alia renouat altercationes de mutatione Reginae Hispaniae et semper apocryphis quibusdam narrationibus inhaeret, qualis illa est, quod Princeps, quum Bambergam venisset, ad inexspectatam abiurationem adacta fuerit, et quod Theologi quidam nostrates eam eousque sint affectati; quae omnia falsa puto.

 (*) Quid

(*) Quid carmina valeant ad mouendos hominum animos ex instituto docet LEIBNITIVS in Miscellaneis a FELLERO editis p. 169. s.

EPISTOLA CVII.

I. *De Magliabecco.* II. *Diario Veneto.* *Et* III. *Icone Leibnitiana.*

I. Quum nuper responderem nec literae Tuae ad manus essent, oblitus sum quaedam attingere, quae illis continebantur. MAGLIABECCVS etiam mihi scripsit eamdemque querelam attingit de oculorum morbo, quo laborat.

II. Diarii Eruditorum Veneti noui non nisi initia vidi. Erant non mala.

III. Iconis meae, iussu Reginae Borussiae aeri insculptae atque inde expressae, faxo vt bina exempla accipias, si tanti videtur. Quod superest, vale et faue. Dabam Hanou. 7. Sept. 1711.

EPISTOLA CVIII.

I. *Petrus Russorum Imperator laudatur.* II. *De Gomezii de Pereira Margarita Antoniana.* III. *De Petersenii Opere Vraniados et aliis.*

I. Torgauiam vsque excurri, non tam, vt solennia nuptiarum, quam vt magnum Russorum Czarem spectarem, nec poenitet. Sunt enim ingentes magni Principis virtutes. Curabit, me hortante, vt obseruationes declinationis magneticae per vastum eius imperium instituantur. Olim VOLCAMERVS Noriber-

bergae et STVRMIVS Altorfi idem vrgebant, et peculiares ea de re ſchedas ediderant. Has credo, mihi facile procurabit fauor Tuus. Vidi olim et fortaſſe etiam habui, ſed nunc non reperio. GODEFRIDVS THOMASIVS vir inſignis, apud Noribergenſes Medicus, VOLCAMERI, ni fallor, gener, talia, credo, ſuppeditare poterit. Creditur ad ipſum quoque peruenisse liber, quem Gleditſchius Lipſiae habuit, ſed cum peterem iam vendiderat.

II. Eſt cuiusdam Medici Hiſpani GOMEZII DE PEREIRA Margarita Antoniana. Multa is habet paradoxa, et cum patrem haberet Antonium, matrem Margaritam, pene ridicule titulum ab iis libro ſuo impoſuit. Si Celeb. THOMASIVS hunc librum habet, et carere eo vult, redimam libens: ſin carere eo nolit, fortaſſe impetrabitur, vt legere liceat. Amo enim legere tales paradoxologos: multis enim inanibus bona quaedam admiſcere ſolent.

III. Gaudeo Celeberr. merito ſuo PETERSENIVM noſtrum Operi Vraniados manum admouere velle. Nihil poterit agere facile plauſibilius etiam ad poſteritatem. De FRACASTORII Carminibus Guelferbyti inquiro. (*) Icona meam, ſi tanti putas, afferam Guelferbytum, vt inde Tibi mittam: aut ſi interim aliam occaſionem hinc ſuppeditas, mittam recta. Gratias ago, quod litteras inſignium virorum BORROMAEI et PISANI mecum communicaſti, etiam gratias Tibi agentium. Laudanda eſt Italorum humanitas et vituperanda contra noſtrorum hominum, quae vulgo apparet ἀυ-

θάδεια, qui parum familiarum decora curant. Quod superest vale et faue. Dab. Hanou. 8. Decembr. 1711.

(*) De vita, moribus, scriptis, meritisque HIERONYMI FRACASTORII vir clar. FRID. OTTO MENCKENIVS haud ita pridem commentatus est. conf. Acta Eruditorum 1731. p. 198.

EPISTOLA CIX.

De Peterſenio, Godofredo Thomaſio, Webero et Czarowitza.

Miror, PETERSENIVM nostrum pene absoluisse iam Vraniada suam, quam vix coeptam putabam. Vererer ne nimium festinaret, nisi scirem ingenii eius vbertatem. Optem tamen videre opus antequam edatur. Fortasse enim suggeri poterunt supplementa quaedam. Carmina eius et hoc praesertim non difficulter bibliopolam inuenient. Inter FRACASTORII est Iosephus, Aegypti Rector, sed quem non absoluit, libris tantum duobus confectis. Quod ad GODOFR. THOMASIVM virum Clariss. in mei gratiam scripsisti, gratias ago. Ago et pro missis germanicis et aliis carminibus, vbi placent inprimis M. WEBERI, quae cantata sunt apud Te. Domino WEBERO Tuo gratulor munus, vellemque similes passim in scholis haberemus. Quis est, quem Czarowitza concionatorem accepit? Nam quaerere oblitus sum. An et medicum secum duxit? Precor vt hoc diu carere possit, et suo tempore pro medico obstetricem vocet. Dab. Hanou. 27. Dec. 1711.

EPI-

EPISTOLA CX.

De Peterſenii Vraniados opere.

Non ſine admiratione vidi opus amici noſtri tam breui tempore tanto cum ſucceſſu abſolutum, quum vix coeptum putarem, et iam bonam partem vidi. Innumera video dicta acute, pulchre, digne. Sed haud pauca occurrunt, fateor, non tantum contraria legibus, et in licentiam poeticam magis quam par eſt effuſa, ſed etiam imparia ſenſu, languida, et niſi mutentur, faciem elegantiſſimam deturpatura. Saepe occurrunt vocabula ſuppletoria, quae Galli vocant cheuilles, vt ille, illi v. g. pag. 2: vnde nec illorum ſylueſtria luſtra dierum, pro quo malim ponere; agreſtum. Interdum nimis denſantur eliſiones, v. g. qui in forti Dauide fuit, qui et in omnibus illis. Cum poſſit commode ſubſtitui: qui forti fuit in Dauide et in omnibus illis. Vocabulum neue perſaepe aliter exhibetur, quam vellem v. g. pag. 6 *Dumque in primordia ſurgo*

Aeterna ipſe locum ſupra et ſupra ipſa voluto
Tenpore neue vllam dilabi ſuſpicor horam

Pro quo mallem

Dumque in primordia ſurgo
Aeterni, ſupraque locum ſupraque locatus
Tempora, iam nullas labi mihi ſuſpicor horas.

Sed et quaedam perobſcura ſunt, veluti:

Nullum adeo corpus neue vllo ſimplice gaudet
Toti creatura hac Deitas vix vna probatur
Comodiusque magis trinum monſtratur vt vnum.

 Pro

Pro quo praestaret, ni fallor, ponere:

Et nullum vt corpus nec vultu simplice gaudens
Vlla creatura est; Deitas sic, vnica quamuis,
Plura tenet, trinumque decus monstratur in vno.

Ita licentiam mallem vitari, qualis est p. 3,

Si vastam rerum seriem atque abdita coner

Commode enim pro atque abdita ponemus:

Secretaque

Ita p. 7. *Visque intus omnis virtusque latebat*
Melius: *Vis tota intus*
Illud: *Tua te mensus abysso*, putem posse stare. vt mensus sit idem, quod metitus.

Plurima talia muto et passim versus integros mutare oportet. Saepe etiam Grammatica laborat: Sic nollem: erupti nubibus ignes, sed potius emissi. Video quoque quaedam interdum recidi debere tautologotera et vocabula mutari, quae saepius eodem pene loco occurrunt. Circa res ipsas refero me ad adiectam schedam, quae inclyto viro communicari potest. Sed de omnibus Tuum inprimis iudicium flagito. Icona meam Dn. Prof. ECCARDO perferendam dedi. Quod superest vale et saue. Dabam Hanou. 28. Ianuar. 1712.

P. S. Editorem praescriptis conditionibus, credo non difficulter inueniemus.

EISTOLA CXI.

I. *De Peterseniii opere Vraniados.* II. *Caroli VI elogium.*

I. Omnino libri partem faciunt tam compendium Controuersiae, quam animaduersio in librum de origine mali. (*) Itaque ne in-

integrum exemplar lacerari necesse sit, vrgendus erit FORSTERVS, vt defectum suppleat. Si literas ad eum in eam rem obsignatas scribes, reddi curabo. Quid BVDDEVS contra scripserit, videre velim. Hoc inter nos dictum esto: miram esse PETERSENII amici nostri in pertexendo opere Vraniados negligentiam. Multa pulchre dicta sunt, sed multa etiam tam languida, tam irregularia ac neglecta, vt nullo modo in tam insigni opere ferri possint. Saepe video integras paginas esse reformandas, saepe multos versus delendos, aliis substitutis, itaque vereor, ne onus in me receperim, a quo me tam facile liberare non possim. Progressus feci non nullos, sed crescit tractu difficultas, quia video posteriora prioribus neglectiora. Dolendum est, quod non paulo plus diligentiae adhibuerit. Ita enim opus egregium fuissemus habituri. Quod superest vale et faue. Dabam. Hanou. 26. Febr. 1712.

II. P.S. CAROLVS VI. Caesar hactenus omnia agit, vt egregium principem decet. Spero Dn. Principem LVDOVICVM mox domum rediturum, nisi iam rediit.

(*) De Theodicaea sua verba facit.

EPISTOLA CXII.

I. *De Peterſenio.* II. *Lyſero.* III. *Buddeo.* IV. *Antonii Vlrici deſertione religionis Lutheranae et* V. *Conringii Arminianismo.*

I. Non dubito, quin Dominus Prof. ECCARDVS icona tradiderit. Optarem vt vltimum librum suum Vraniados ipsemet emendaret

daret perficeretque Auctor doctissimus, quia in eo sententiam tractat, quam ego quidem minime damno, meam tamen facere nolim.

II. Quantum ego intellexi vocandum Dominum LYSERVM istum Vitembergensem ambae aulae consensere, et fortasse iam expedita est vocatio: non ideo tamen desperem et Dominum KRESSIVM nobis vindicari posse.

III. Dominus BVDDEVS credo non futurus est aduersarius valde acerbus, quum soleat moderationem profiteri. Si tamen excederet moderationis limites, iuberem eum res suas habere sibi.

IV. Rationes, quibus Serenissimus noster Dux ad communionem Romanam adductus est, non vidi. Itaque communicatione earum me obstringes.

V. Dominus CONRINGIVS, ni fallor, tuto Helmstadii profiteri poterat Arminiana dogmata sibi placere. Pleraque enim, ni fallor, nostris consentiunt, nisi forsan iunioribus Remonstrantibus fauit, qui alia recepta et ARMINIO ipso non solicitata conuellunt. Centuria epistolarum a BRANDTIO editarum mihi visa non est, et nosse velim, quis ille BRANDTIVS et quando, aut vbi ediderit? (*) Vale et faue. Dabam Hanouerae 10. Martii 1712.

(*) CASPAR BRANDTIVS Historiam vitae IACOBI ARMINII singulari scripto persequutus est, quod ven. IO. LAVR. MOSHEMIVS, annotationibus additis, Brunsuigae 1725. in 8. recudi curauit.

EPIST.

EPISTOLA CXIII.

De Declaratione Tubingensium Theologorum occasione Responsi Helmstad. edita.

NUperrimas meas acceperis. Icona etiam redditam puto. Gratias ago, quod Declarationem Tubingensium & animaduersionem Tuam mecum communicasti. Vtramque remitto. Recte mones, viros doctos a Te compellatos excessisse fines petitionis Tuae. In eo etiam inprimis mihi peccare videntur, quod Te pro delatore habent; quum secum reputare debeant, scriptum, quod ediderant, non potuisse non displicere Serenissimo Duci, Te licet silente; debebant etiam vani rumoris mentione abstinere. Male etiam Tua paternis confundunt. Caesareae literae ad Sereniss. Ducem Wurtembergicum ad hoc certe proderunt, vt imposterum circumspectius agant, qui talia argumenta tractabunt. Quod superest vale & faue. Dabam Hanouerae 15. Mart. 1712.

P. S. Monita Tua contra arthriticos insultus mihi valde placent, & pro iis gratias ago. Ad euacuantia tamen non facile procedo. Compendium controuersiae gallico sermone scriptum est paucarumque paginarum, itaque non magni momenti. Miror tamen deesse. Compendium Latinum etiam a me est.

EPISTOLA CXIV.

I. *De Ducis Antonii Vlrici desertione religionis Lutheranae.* II. *Conringii Arminianismo.* III. *Petersenii Vraniados opere.* IV. *Sebast. Edzardi fatis &* V. *speculis conuexis vitreis.*

I. Pro

I. Pro considerationum libello, quem nondum videram, multas gratias ago. Quae Dux ipse Serenissimus consignauit prudentiae & moderationis plena sunt, nec plausibilitate carent, animumque ad multa alia non satis attendentem mouere possunt. Sed Commentator, etsi vir doctus & bene animatus, vereor ne crabrones irritet *. Quaedam enim reuera iusto sunt acriora, vt quod putat, virum probe eruditum bona conscientia extra Rom. Ecclesiam permanere non posse: quum contra potius ipsa rerum cognitio maximum obstaculum accessioni ad Romanos obiiciat. Exempli loco esto, quod etiam Episcopo Meldensi, (frustra in refutatione laboranti) obieci, neminem satis versatum in antiquitate, & ad rem attendentem, vt par est, nec per alia distractum, posse salua conscientia accedere Concilio Tridentino, sub anathemate iubenti, vt libri V. T. quos nos Apocryphos credimus, diuina auctoritate praediti & caeteris aequales censeantur, contra manifestissimas declarationes primaeue antiquitatis Christianae. Si Concilium Tridentinum seponeretur, facilior foret schismatis sublatio, sed hoc stante, nisi per vim, non obtinebitur.

II. Fateor, si Dn. CONRINGIVS ostendisset, sese etiam circa sacramenta adhaerere Remonstrantibus, adeoque Reformatis, non fuisse stationem Helmstadiensem tuiturum, sed ego putabam Remonstrantibus accessisse proprie vbi cum Reformatis pugnant.

III. Praefationem Vraniados accepi, sed multum me moratur emendatio operis, differendaque

que erit in iter aliquod, vbi me alia non distrahent. Curabitur ne quid pereat. Sed vltimum librum ab ipso doctissimo Auctore emendandum puto.

IV. Rixatorem Hamburgensem aiunt vrbe egredi non audere, metuentem, ne iussu Regis Prussiae intercipiatur & in vincula trahatur. Hoc ipse sibi periculum suis clamoribus attraxit.

V. Vt mutem materiam, audeo petere, vt inquiras Noribergae, an non sciri possit, qua nam arte fiant illa specula conuexa vitrea, quae vilissimo pretio venduntur; quorum concauitati apparet infusam materiam quandam, prius liquidam, deinde induratam, quae opacitatem vitro conciliat, sine folio stanneo, quo in speculis planis vti artifices solent. Qui me hoc doceret, ei libenter munusculum eucharisticum darem. Sed arte quadam hoc expiscandum esset ab opificibus, & quasi aliud agendo, nisi sit fortasse inter ipsos, qui pro munusculo artem docere velit. Vale & faue. Dabam Hanouerae 17. Mart. 1712.

(*) GEORG. CHRISTIANVS FERDIN. a RAESEWITZ manifestationem Considerationum & Motiuorum, quibus Serenissimus Princeps ANTONIVS VLRICVS a Protestantium ad Romano-Catholicam discessit ecclesiam 1710 in 4. germ. edidit, conf. IO. FABRICII Biblioth. P. IV. p. 222. & Acta Eruditorum Germanica T. VII. p. 771. vbi vitam & scripta RAESEWITZII a celeberrimo Professore IO. ERH. KAPPIO recensita reperias.

EPIST.

EPISTOLA CXV.

I. *Godofr. Thomasii elogium.* II. *De Doppelmeyero.* III. *De concauis speculis sine foliis conficiendis.* IV. *Leibnitius Ouerbeckii causam agit.*

I. Multas debeo agoque gratias, quod in mei gratiam Noribergenses amicos, viros egregios, consuluisti. Vtriusque epistolam remitto, & inprimis peto, vt Amplissimo Viro Godofredo Thomasio gratias agas, quod veterem beneuolentiam mihi conseruarit. Pauci nunc in Germania in veteris rei numariae cognitione, vt caeteram doctrinam taceam, ad eius laudes accedunt. Eo magis ipsi otium optem, vt selectas obseruationes, quas varii generis praeclaras eum habere scio, in publicum vsum patriaeque decus conferre possit.

II. Doppelmeyeri vestri doctissimi diligentissimique in rebus mathematici viri studiis & laboribus mire applaudo. Quod de historia coelesti Flamstediana quaerit, sic accepi. Obitu Sereniss. Principis Georgii penes quem summa erat cura rei maritimae Britannicae, sufflaminatam esse editionem praeclarissimi operis, praesertim his difficillimis temporibus, itaque incertum esse, an & quando sit proditurum? Rogo vt eum horteris ad sumenda quoque experimenta Magnetica & obseruandam quotannis, quanta fieri poterit, accuratione, declinationem inclinationemque magneticam. Sunt etiam magneticae obseruationes spectaculo curiosorum hominum dignae, & plurimum adhuc in illis indagandum latet.

III.

III. Pro methodis conficiendorum sine foliis speculorum concauorum ipsi Tibique etiam gratias ago. Amicus quidam experientia valens, etsi non in hoc negotio, scribit ad me, auditum sibi, applicari materiam vitro adhuc a fusione calenti. Optem, reperiri aliquem, qui pro munusculo demonstrare operationem possit velitque. Nam fateor, processus nonnullos amicis communicatos non successisse.

IV. Dominus OVERBECKIVS, ConRector Welferbytanus, quem scis, virum esse bonum & doctum, valde apud me questus est, se dure admodum haberi, quod, cuius potissimum moribus siue morositati tribuendum sit, non ignorat. Itaque valde optat eripi his malis, & aliud officium alibi, siue in schola, siue in Ecclesia consequi. Rogo, vt de viri salute cogitare, & de ope ei ferenda sententiam Tuam mihi aperire velis. Quod superest vale & faue. Dabam Hanouerae 19 Maii 1712.

EPISTOLA CXVI.

De Peterseníi Vraniados opere.

GAudeo, Te valere & mei meminisse. Ex quo domum reuersus sum, summo studio Petersianum opus quaesiui, sed nondum inuenire potui, vt suspicer, illud latere in aliqua cista mea, quam longum iter ingrediens Welferbyti reliqui. Multum in eo laboris insumsi, vt festinata nimis expolirem & sub limam reuocarem. Itaque innumera mutaui & alicubi, paginas integras. Vbi vbi sit, latere tandem

non poteſt. Pro munere gratias, vt par eſt, ago. Interea vale & faue. Dab. Hanou. 22. Ian. 1715.

P. S. Quid tuum ſit muſeum literarium intelligere gratum erit.

EPISTOLA CXVII.

I. *Leibnitius Podagra laborat.* II. *In opere hiſtorico abſoluendo occupatus eſt.*

I. Spero & opto, Te bene valere. Reſponderam non ita pridem, Dni. D. PETERSENII Carmen Vranicum in ciſtis meis Welferbyti eſſe, neque niſi, vbi eo rediiſſem, remitti poſſe. Ille ſuis literis iterum mitti petit. Cogor idem reſpondere, quia mihi ob arthritica mala nondum pedem vrbe efferre licuit; & nunc ob frigus me domi contineo. Spero tamen illuc excurrere mitigata anni tempeſtate, et tunc non omittam carmen requirere, et tranſmittere. Interea peto, vt incluſas literas ad ipſum cures. Non dubito, ex quo Te non vidi, multa Tibi occuriſſe, quae grata mihi et vtilia ſcitu eſſent, ſi quaedam eius generis, praeſertim literaria, mecum communicares, noua me obligatione obſtringeres.

II. Ego in Opere Hiſtorico ſum aſſiduus, idque hoc anno abſoluere ſpero, ſi vires manent. Quod ſupereſt vale et faue. Dabam Hanouerae 17. Jan. 1716.

P. S. Quid etiam ipſe agas et moliaris, diſcere gratum erit.

EPIST

EPISTOLA CXVIII.

De Peterſenii Vraniados opere.

PEr Tabellarium Helmſtadienſem Guelferbyti accipies Peterſenianum Carmen, quod prius reſtitui non potuit. Editio multa opinor adhuc reuiſione lituraque indigebit (*). Haec feſtinans ſcribo, dum currum inſcendo: alias plura. Vale interea & faue. Dabam Guelferbyti 6 Iul. 1716.

(*) PETERSENII *Vranias de operibus* DEI *magnis, omnibus retro ſaeculis & oeconomiis transactis, vſque ad Apocataſtaſian ſeculorum omnium per ſpiritum Primogeniti glorioſiſſime conſummandis.* Halae publicam lucem adſpexit.

Vnpartheyisches Vrtheil von dem Nutzen, welchen die Evangelisch-Lutherischen aus der Vereinigung mit den Reformirten zu erwarten haben,

in einem auf hohen Befehl abgefasten Rathschlag geäusser
von

Herrn GERHARDO MOLANO
Abten zu Loccum, auch Directore der Kirchen im Churfürstenthum Braunschweig-Lüneburg
und
Herrn GOTTF. WILH. LEIBNITZEN
Geheimen Rath zu Hanouer.

INHALT.

I. Die mutua tolerantia vnter den Evangelischen ziehet vielen Schaden nach sich. II. Dieses erhellet aus dem Casselischen Colloquio, III. welches einen sehr übeln Erfolg gehabt.

I. Wie wohl und christlich, wie löblich und nützlich die mutua tolerantia oder virtualis vnio vnter den Evangelischen in Theoria gethan zu seyn scheinet, so schlimme Effectus hat sie dennoch, durch des Satans Neid, vnd passionirter Zeloten Anstifften in Praxi vnd Applicatione ie vnd allemahl nach sich gezogen, also vnd dergestalt, dass auch den Moderatis, ia Moderatissimis, h. e. denienigen Evangelicis, welche die absonderliche Lehren der Reformirten nicht für fundamental, sondern vielmehr die Reformirten für Brüder in Christo halten, iedennoch für einen solchen, per Declarationem publicam einzuführende Tolerantz billig grauet, weil die con-

conditio der Euangelischen Kirchen dadurch immer schlimmer geworden, vnd allemahl zum wenigsten eine heimliche Verfolgung vnd Vnterdrückung, mehrmahl eine öffentliche Reformation vnd Persequution der unsrigen darauf erfolget.

II. *Kein notabler Exempel ist verhanden, daraus zu ersehen, was für Schaden die mutua tolerantia solenniter introducta der Euangelischen Kirchen gethan, als aus dem Colloquio Casselano. Ist iemahls vom Anfang der Reformation bis auf diese Stunde in einem Colloquio Irenico von beyden Theilen candide, aufrichtig vnd redlich procediret, so ist es gewiss zu Cassel geschehen, da beyderseits Männer von Vngemeiner Erudition vnd Aufrichtigkeit zusammen kommen, amicabiliter anfangs mit einander de controuersiis ipsis, letzlich de momento illarum controuersiarum disputiret, vnd sich endlich dahin brüderlich verglichen, dass die quaestiones controuersae das fundamentum fidei nicht berührten, vnd man dennoch, stante quamlibet et durante dissensu, einer den andern nicht nur toleriren, sondern pro fratre in Christo halten könne vnd müsse. Wie aus der auf Befehl der gnädigen Herrschafft publicirten relation vom Casselischen Colloquio mit mehreren erhellet. Als die Saxonici mit ihrer Epicrisi, ia fast die gantze Euangelische Kirche sich dagegen stellete, haben iedoch die Rinthelischen Theologi,* D. HENICHIVS *vnd* D. MVSAEVS, *als gewesene Collocutores sich ein solches wenig anfechten lassen, sondern die Hertzhafftigkeit gehabt sich allen zeloten zu opponiren, vnd die Relation be-*

ſagten Concilii in einer weitläufftigen an alle Euangeliſche Theologos gerichteten Epiſtel zu vertheidigen.

III. *Wer ſolte nun aus der in dieſer conſociation vnd daſelbſt ſtabilirten beyderſeitigen tolerantz vnd brüderlichen Vereinigung etwas anders als aurea ſaecula et Eccleſiae atque Academiae Rinthelenſis halcyonia ſich promittiren haben können? Es hatte aber den Effect, daſs ſo fort darauff nicht nur das Exercitium Reformatae Religionis zu Rintheln eingeführet worden, welches an vnd für ſich nicht zu miſſbilligen, ſondern die Academie ihre Collegiat-Kirche, darinn die Studioſi Theologiae ihre Exercititia concionatoria zu halten pflegen, den Reformirten hergeben müſsen. Es wurden ferner (vnangeſehen das Inſtrumentum Pacis ein anders ſtatuiret, auch dieſer eintzig vnd allein wegen der Rintheliſchen Academie inſeriret worden) ob ſchon die Evangeliſchen Theologi dawieder ſchrieben, ſeufzeten und fleheten, verſchiedene Reformirte Profeſſores Philoſophiae, vnd vnter andern gar ein Profeſſor Ethicae & Logicae, welche beyde Diſciplinen in die Theologie lauffen, nach Rintheln geſetzet. Dabey blieb es nicht, ſondern es wurden dahin geſtellet zwey Reformirte Prediger, auch zu würcklichen Profeſſoren, einer Graecae, der andere Hebraicae linguae, vnd ihnen Macht gegeben, das alte vnd neue Teſtament philologice zu expliciren. Der Evangeliſche Stadt-Magiſtrat wurde ab, vnd an ſtatt deſſen ein Reformirter Burgermeiſter und lauter Reformirte Raths-Herren einge-*

eingesetzet. Dabey denn die Prosopolepsia aufs ernstlichste getrieben: welche um desto besser von statten gieng, dieweil der Abfall von der Evangelischen Lehre eine gewisse Befœrderung nach sich ziehet. Es ging dieser Zelus so weit, dass vnter andern, so sich in concionando ziemlich moderat erwiesen, auch dann und wann Reformirte Prediger dahin gesetzet wurden, welche die Euangelischen Dogmata heftig perstringirten. Daher denn endlich kommen, dass D. MVSAEVS *von Rintheln nach Helmstädt zog* (*). **D. HENICHIVS**, *nachdem ihm seine gute Intention so übel ausgeschlagen, sich sehr betrübte vnd bald darauf starb, der dritte dasige Theologus*, D. ECCARDVS, *welcher das Colloquium Casselanum in publicis scriptis gegen andere der unsrigen defendiret, vnd sich dadurch eben so viel Hass zugezogen, endlich sahe, dass seines Bleibens in Rintheln nicht länger seyn wolte, dannenhero in seinem Alter dasige seine vieljährige Professionem Theologicam quittirte, vnd sich in Stift Hildesheim für einen Special-Superintendenten vnd Pastorem bestellen liess* (**)

(*) PETRVS MVSAEVS non ita multo post Theologiae Professor primarius in condita anno 1665. Academia Kiloniensi euasit, cuius & primus Rector fuit.

(**) *Relatio Colloquii Casselani* 1662 Cassel in 4. prodiit. Theologi Vitembergenses anno sequenti, quae Casselis gesta erant, publicis scriptis improbarunt. Neque enim solum scriptum ediderunt, cuius index: ***Bedencken über dem Casselischen Colloquio, wie auch über dem Syncretismo, der daselbsten aufgerichtet worden***, verum etiam, quum SAM. MARESIVS *Obseruationes irenicas ad Colloquium Casselanum* publici iuris faceret, Syllog. Disputatio-

 num

num eius P. II. p. 819 insertas, ABRAHAMVS CALOVIVS 1673 Vitemb. ad *obseruationes irenicas* MARESII *de Colloquio Cassclano Hypomnemata* publice defendebat. Non defuit quidem sibi Collegisque suis D. HENR. MART. ECCARDVS, qui 1662 Rinthelii in 4. edidit; *Bedencken über das theologische Gespräch, welches vor anderthalb Iahren zu Cassel gehalten worden*; sed eidem & IACOBVS TENZELIVS, Antistes tum Greussensis, dein Arnstadiensis, & CHRISTIANVS CHEMNITIVS, Theologus & Superintendens Ienensis scripta opposuere, Ille enim in *breui ostensione de pace Lutheranorum ecclesiastica cum erroribus Caluinianis eorumque propugnatoribus* Vitemb. 1665 cum approbat. Facultat. Theolog. Vitembergensis sermone Germanico contra ECCARDVM disputauit, hic in libro, cuius index: *Grund des Glaubens und der Seeligkeit*, Ienae 1664 edito, ECCARDI iudicium sub examen vocauit.

EPISTOLA CXIX.

AD

D. HENRICVM ERNESTVM KESTNERVM,

Iuris in Acad. Rinthelensi Professorem.

I. *Magna Emendatione Iurisprudentia ciuilis indiget.* II. *Quomodo haec Iurisprud. correctio instituenda?*

I. Excursiunculae in Westfaliam fructum non exiguum cepi, notitiam Tui, viri praeclari ac mihi dudum aestimatissimi, quem bona quaedam fortuna Detmoldiae obtulit. Accessit cumulus ex litteris Tuis humanissimis, quibus praeclare cogitata de emendanda Iurispru-

prudentia et decennalium in iure laborum indicem adiecisti, ex quo intelligo quam paucula Tuorum ad me peruenerint, quae tamen semper cum fructu et voluptate legi. In summa autem Tecum sentio; sensique semper, magna iurisprudentiam nostram reformatione indigere. Quum iure saepe incerto, non raro etiam iniquo vtamur. Leges Romanae, ne quid iam dicam de canonicis, pro basi habentur iuris nostri, quibus standum sit, vbi aliud vsu introductum non est. Sed quam multa in eo obscura, perplexa inutiliaque sint, quam ipsa sua magnitudine laboret, nemo nescit. Sed difficilius adhuc est, definire, quid eius abrogatum sit, vel potius non admissum? Equidem mutata penitus Republica moribusque; ad veteres Germanicarum gentium Leges redire, in quibus multa admodum sunt barbariei vestigia, fuerit inuenta fruge glandibus vesci. Video etiam alicubi vbi Patriae leges solae, exiguis voluminibus comprehensae pro norma sunt, breuiores quidem esse Decisiones, sed saepe deteriores, quando nec volumina illa satis ad normam aequitatis exasciata, plerumque etiam in comprehendenda casuum varietate valde hiulca sunt. Ita res passim ad arbitrium Iudicis redit vel prauum affectu, aut lucri cupiditate, vel praeceps imprudentia, vti illud gallicum prouerbium habet: Fol iuge, promte sentence.

II. Non male in Germania passim prouisum est, vt acta mittantur ad collegium non suspe-

ctum nec partibus cognitum. Ita ſpes foret aequi iudicii, niſi iure incerto et forma iudiciorum laboraremus. Equidem ordinem Proceſſus reformare non foret difficile, et lites contrahere ſaltem in Principis ditione, qui hoc vellet. Neque enim aliud eſt iudiciarius Proceſſus, quam quaedam Logicae artis accommodatio ad cauſſas miſta cum cogendi poteſtate. Sed iuris incertitudini mederi difficilius eſt. Cogitaui aliquando, ſi Iurisconſulti celebres Germaniae ſtudia communicarent, poſſe aliquid confici, quod poſtea Domini non difficulter comprobarent. Sed multi ex eorum numero, quibus eſt auctoritas, incertitudine iuris in ſinu gaudent tacite, quod inde ampliſſimam et ditiſſimam habeant meſſem caſuum pro amico. Aliquando velut tabulas quasdam breuiſſimarum legum concepi animo, ad ſpeciem decemuiralium Romanarum, in quibus ſimul eluceret aequitas et comprehenſio, omni caſuum varietate per rationum amplitudines tamquam indagine, cincta, vt nullum eſſet allegationis, id eſt actionis, exceptionis, replicationisque cuiuscunque caput, cuius fundamentum in iis tamquam in albo Praetoris, digito monſtrari non poſſet. Quodſi aliquando perficiendi, otium fuerit, vbi labore quodam defunctus fuero, communicabo cum intelligentibus talium viris inſignibus, Tecum inprimis, vt ſpecimen aliquod ad poſteros extet quo excitari ad meliora poſſint. Caeteroquin ego Digeſtorum opus, vel potius auctorum vnde excerpta ſunt labores admiror, nec quidquam

quam vidi, ſiue rationum acumen, ſiue dicendi neruos ſpectes, quod magis accedat ad mathematicorum laudem. Mira eſt vis conſequentiarum, certatque ponderi ſubtilitas. Quamquam non ideo concluſiones ſemper probem, quae ſaepe ducuntur ex quibusdam veteris perſuaſionis apicibus opinione conſecratis, veluti quod nemo poſſit pro parte teſtatus inteſtatusque diſcedere, quaeque alia ſunt id genus multa, non aequitatis ſed formulae partus. (*) Sed prolixior de his ſum quam conſtitueram. Quod ſupereſt, vale et faue. Dabam Hanouer. 5. Sept. 1708.

(*) Quae LEIBNITII de emendanda Iurisprudentia ciuili fuerint conſilia ex duobus Eius ſcriptis praecipue diſcas. Vno enim eodemque anno 1668. et Francof. in 12. *nouam methodum diſcendae docendaeque Iurisprudentiae cum ſubiuncto catalogo Deſideratorum in Iurisprudentia* et Moguntiae *corporis iuris reconcinnandi rationem* in 12. publici iuris fecit conf. IOACH. FRID. FELLERVS in *ſupplemento vitae Leibnitianae*, quod *Otio Hanouerano* a ſe edito praemiſit, et vita LEIBNITII a FONTENELLIO elaborata, atque interpretationi Theodiceae LEIBNITII germanicae, quae 1726. Amſtel. prodiit, addita p. 864. ſeqq.

EPIST.

EPISTOLA CXX.

AD

GVNTHER. CHRISTOPH. SCHELHAMMERVM,

Medicinae Doctorem, Eiusdemque primum in Ienensi, tum in Helmstadiensi, denique in Kiloniensi Academia Professorem celeberrimum.

I. Schelhammeri noua circa genitalia obseruata desiderantur. II. *Leibnitius Schelhammero versus mittit.* III. *De aqua fumante obseruatio.*

I. Quum hic esses, ita distrahebar, vt vicissim te inuisere non possem. Erant enim imposita nonnulla, rem funebrem tunc spectantia, quae moram non ferebant. Cupido autem me incesserat cognoscendi paulo distinctius, quae de nouis circa genitalia obseruatis Tuis elegantia sane disserebas. Et certe si mihi ea per epistolam indicare voles, rem gratissimam facies.

II. Mitto nunc versus meos, quos in obitum Serenissimi Principis scripsi, ex quibus exemplar vnum gallicorum pariter et latinorum rogo Domino Knorrio, Superintendentis Generalis Osterodensis fratri mittas; is enim apud vos agit.

III. Fuit hic nescio quis, qui nobis ostendit aquam fumantem sane mirabilem. Fumat enim, quam diu vel gutta eius supereſt, et si pau-

paulum in pauimentum effundas aut solum, nemo in eo loco perstare poterit ob vim fumi, admodum respirationi inimicam. Tantus enim exit fumus, vt qui e longinquo videat, ignem adesse putet. Aqua interim ne calida quidem est. (*) Vale faueque Tui studiosissimo. Hannouerae die 23. Maii 1680. Helmstadium.

(*) De aqua fumante extat epistola LEIBNITII gallico sermone exarata in *Iournal des Scauans* T. IX. p. 49.

EPISTOLA CXXI.

II. *De Genitalibus talpae.* II. *De Aqua fumante et igne artificiali durabili.* III. *De ratione emolliendi ossa.* IV. *Medicis praeparatio Medicamentorum Helmstadii interdicitur.* V. *de diuersis rebus Leibnitius gratias agit.*

I. Geminas tuas literas recte accepi et magna cum voluptate legi: merentur autem communicari Curiosis, tum quae de Genitalibus talpae habes, (*) tum quae circa boli generationem obseruasti; quorum compendium legere admodum velim. Nam quae Academicis nostris communicantur tardiuscule eduntur. Ex talpae anatomia videbaris mihi tunc, quum colloqueremur, deducere quaedam, si bene memini, a RAGNERI de GRAEF sententiis abludentia, quae velim singulatim notes.

II. Aqua fumans (quantum opinor) cum lumine illo siue igne artificiali durabili, cuius inuentionem primam falso tribuunt KVNCKELIO, (**) nihil commune habet. Nam is, qui aquam

aquam fumantem habebat, pyropi illius compositionem ignorabat. Quid Tibi Iesuita ille communicauerit, nescio: illud certum est, ignem illum artificialem, et, vt ita dicam frigidum ex vrina elici. Ignis ille, quem descripsi in carmine, non alius est, si originem et rei summam spectes, quamuis perfectior videatur vulgari: et quae de eo affero, eorum omnium ipse sumsi experimentum. Forti frictione opus multoque motu, vt ignem exhibeat, nisi pulueri pyrio misceatur. Sed lucem corporibus lenissimo affrictu communicat. Pyropum appellare soleo. Est enim lapillus ignitus, quem, vt dixi, in tenebris tractare timeas, succini instar transparet. Non bene intelligo, vbi Cl. WEDELIVS aquam fumantem descripserit: vellem nosse, quo in Tomo vel anno, quaue pagina? Libenter enim inspicerem locum.

III. Nescio an audiueris, quid mihi ex Gallia scribitur, repertam esse rationem emolliendi ossa, integra carne saluoque sapore, ita vt auicula aliqua per medium secari, et vna cum ossibus comedi possit. Vn de mes amis me mande, d'auoir mangé vn paté de pigeonnaux preparés de la sorte. (***)

IV. Miror in academia vestra Medicis praeparatione Medicamentorum interdici, et statuta facultatis medicae potius extraneis pharmacopolis quam ipsis Medicis, qui profecto vere pharmacopoei esse debent, fauere. In Academia Lipsiensi olim lites erant MICHAELIO cum pharmacopoeis vrbicis. Sed MICHAELIVS nihilo secius in praeparando perrexit.

V. De

V. De carminibus, quae Tibi transmiſeram, ſtatuendi arbitrium habes; imo melius collocari non poterant, quam a Te factum eſt, de quo gratias ago. Clariſſimo BVSMANNO data occaſione rogo meo nomine gratias agas, quod mihi aliquando nomina librorum Thalmudicorum in latinum ſermonem translatorum communicauit. Idem fecit et EDZARDVS. Vtrumque catalogum miſi Epiſcopo Condomenſi, Delphini quondam praeceptori, qui tale quid a me deſiderabat, et nominaui meos auctores. Vale ac faue. Dabam Hanou. die 14. Sept. 1680. Helmſtadium.

(*) Anatome talpae a SCHELHAMMERO deſcripta extat in Ephemeridibus naturae curioſorum Obſ. 130. p. 323. Decur. II. ann. 1.

(**) Primum Phoſphori inuentorem BRANDIVM eſſe LEIBNITIVS, *in hiſtoria Phoſphori* Miſcellaneis Berolinenſibus p. 91 ſeq. inſerta, tuetur. Ibidem & elegantiſſimum LEIBNITII de hoc igne artificiali carmen reperias. Quod & in vita LEIBNITII edit. Theodicaeae eius germ. addita, p. 843 extat.

(***) DYONISIVS PAPINVS librum, cuius index: *Nouus Digeſtor aut machina prae molliendis oſſibus* 1681 in 4. Lond. angl. edidit. conf. *Acta Erud. Lipſ.* 1882 p. 105 & 306. *Continuatio noui Digeſtoris oſſium* 1687 Lond. in 4. angl. publicae luci expoſita eſt, conf. *Acta Erud.* 1687 p. 276 gallice hic liber 1681 Pariſ. in 12. prodiit, conf. *Iourn. des Scau.* T. IX p. 310 & iterum 1688 Amſtel. in 12.

EPISTOLA CXXII.

I *De terrarum medicinalium generatione.* II. *De materia ſeminali triplici.* III. *De organo auditus.* *Et* IV. *De Schelhammeriana Profeſſione.*

I. Ta-

I. Tabellarius vester nuper discessit, antequam mihi respondere liceret, nunc intermittere non possum, quin Tibi gratias agam, quod egregias cogitationes atque obseruationes Tuas de terrarum medicinalium generatione, deque triplici materiae seminalis origine comm unicare voluisti. Operae pretium foret, terrarum reliquarum species persequi ac distincte explicare inprimis, in quo terra calcaria ab aliis differat. Videntur enim aliae terrae igne in vitrum abire, aliae in calcem. Quod posterius an acidis adscribi possit, et quatenus? cogitandum.

II. Circa materiam seminalem triplicem illud inuestigandum esset, an omnis aeque necessaria sit generationi animalis? Sane eam, quae in testibus, generatim necessariam esse constat exemplo eunuchorum. De materia ex prostatis magis dubitari potest. Et vero problema momenti omnium maximi in hoc argumento esset, inuenire cur aliquando conceptio sequatur, aliquando irritus sit coitus; seu quae sint vera conceptionis requisita? Velim nosse, an verum sit, quod aliquoties audiui, canes liene priuatas esse infoecundas.

III. Catalogum Curiosorum a Wedelio editorum nondum vidi. Magnam mihi voluptatem promitto a lectione Tuarum obseruationum circa organon auditus: (*) atque earum mentio mihi in memoriam reuocauit veteres quasdam schedas meas de modo, quo fit sonus ac propagatur, cuius veram naturam nemo hactenus distincte explicuit, quemadmodum

dum nec vibrationum leges a me ex intima Geometria erutas. Ex his quaedam describi curabo, vt Tibi diiudicanda mittam.

IV. Nouo ordinariae professionis medicae honore te auctum atque ornatum, laetissimus intellexi: quem Tibi diu prosperum opto et rei publicae literariae futurum auguror. Vale ac faue Tui studiosissimo. Hanouerae die 6. Dec. 1680. Helmstadium.

(*) SCHELHAMMERI liber *de auditu*, Lugd. Batau. 1684. in 8. prodiit, qui insertus etiam est Bibliothecae Anatomicae a DAN. le CLERC & IO. IAC. MANGVET collecta T. II, a p. 371 - 426. Celeb. CAROLVS DRELINCOVRTIVS iudicauit: *auditus rationem tam neruose* SCHELHAMMERI *sedulitate exhaustam esse, vt quid doctius exactiusque desiderari queat non percipiat.* Conf. Clariss. CHR. STEPH. SCHEFFELIVS in vita SCHELHAMMERI p. 48.

EPISTOLA CXXIII.

I. *De Conringii obitu.* II. *de productione, propagatione atque perceptione soni.*

I. Literas Tuas, quibus meditationes de soni origine et propagatione meas accepisse testabaris, casu aliquo tam tarde acceperam, quia ad Hercyniae fodinas missae illic vsque ad reditum meum latuerant, vt prope puderet rescribere. Notas tamen statim adscripseram, quibus dubitationibus Eius satis fiebat, dilata in aliam occasionem responsione. Nunc, quum celeberrimi merito suo viri HERMANNI CONRINGII, soceri Tui, obitum intelligam, Tibi simul et rei publicae literariae et nostrae

Germaniae condolere debui. Amifimus enim tu quidem praefidium, nos ornamentum. Facit tamen et memoria viri et infignia ingenii monumenta, vt Tibi pariter et nobis viuere adhuc quodammodo videri poffit. Si quae ille affecta abfolutaque reliquit, non premenda, fed edenda cenfeo, quamquam non dubitem, quin voluntatem fuam Vobis fatis expreffferit.

II. De rebus curiofis quamquam Tibi nunc fcribere intempeftiuum videri poffit, addam tamen paucis, quod literis Tuis fatisfacere arbitror. Puto igitur non diuerfo, fed eodem plane modo fonum et produci et propagari et percipi, nempe per corporis tenfi tremorem. Itaque fine elaftri confideratione neque a FRACASTORIO potuit, neque ab alio poteft aliquid fatis diftincte hic dici. Non eft, quod Te culcitra turbet. Nam quum fonum edit, fila eius ictu tenduntur, nihilque tam molle eft, quin ad celerem fatis ictum rationem habeat corporis tenfi. Circuli, quos in aere fingunt, ad eorum imitationem, quos iniecto lapillo in aqua nafci videmus, mea fententia nihil plane explicant. Nam et in liquido non fatis elaftico, quale eft aqua, locum habent, et nihil aliud funt, quam fluctus orbiculares, locum lapilli circumdantes. Fluctus autem aquae potius cum vento, qui in aere eft, quam cum fono comparari debent. Sunt enim affectiones totius alicuius portionis magnae, quum fonus confiftat in trepidatione partium exiguarum. Vnde nec a vento deftruitur fonus, quum tamen fluctus aquae ab aliis fluctibus turbentur. Nec

puto

puto explicari posse, quomodo species soni propagetur, seu ipse tonus, nisi adhibito eo modo, quo ostendo, quomodo aer secundum certas sui partes cuilibet sonoro est vnisonus? Quod ais, iniecto lapillo moueri aquae elaterem, et gyros illos nihil aliud esse, quam ex elastro aquae natos circulos, non intelligo. Nam nec aqua est corpus satis elasticum, et gyri isti orientur in omni liquido, etiam quod elastro careat. Percussio sonori caussa soni tantum remota est, propinqua vero est ipsa corporis sonori restitutio natusque inde tremor. Denique nec explicari posse puto, quomodo ipsa soni specialis ratio, siue ipse tonus percipiatur? nisi sit in organo aliquid, quod vel sit vel fiat obiecto sonoro vnisonum, adeoque tonum eius siue vibrationum periodos exprimat et imitetur. Quod ergo alia longe ratione a Te soni perceptionem explicari putas id suadeo examinari diligentius. Quod superest vale et faue tui studiosissimo. Hanouerae die 13. Ianuarii 1682. Helmstadium.

EPISTOLA CXXIV.

I. *Leibnitius morbo laborat.* II. *Schelhammero auctor est, vt Institutiones medicas concinnet.*

I. Ab aliquot mensibus non optima valetudine vsus sum. Nam & refractrarium auris vulnus aegre persanaui, & assultus aliquot arthrididis sensi. Nunc paullo melius habeo.

II. A multo tempore vtor notitia D. Dv Cros,

Galli, viri inſignis, & Conſil. Status in aula veſtra, quem apud D. Baron. de GOERTZ multum poſſe ſcio. Huic cauſſam Tuam commendaui prolixe. Addidi, animari Te atque excitari poſſe ad condendas, quibus vnus omnium maxime par mihi videaris, Inſtitutiones medicas. Neque omiſi de Te dicere quae & vera eſſe ſcio, & credi deſidero. Efficacius cum Dn. CROSIO coram ages. Nam poteris facile procedente ſermone efficere, vt ipſe intelligat quali cum viro ſibi res ſit. Hanou. 22 Mart. 1712. Kilonium.

EPISTOLA CXXV.

De Inſtitutionibus Medicis a Schelhammero elaborandis.

REpraeſentaui Dn. du CROSE neminem mihi hodie notum, qui Te melius Inſtitutiones Medicinae nouantiquae condere poſſe videatur, quibus valde indigeat reſpublica, idque ad decus Academiae, gloriamque Principis pertinere. Igitur illuſtriſſimus GOERTZIVS ſpem fecit efficiendi, vt ſumtu Principis edantur. Ita Tibi integrum fore cum Bibliopola paciſci. Ipſe meo nomine Du CROSIO, & per ipſum GOERTZIO gratias egi, quod aliquam meae commendationis rationem habuiſſent. Bibliopolam aliquid de Principis munificentia reſciſcere nihil neceſſe eſt. Hanou. d. 17 Maji 1712. Kilonium.

EPISTOLA CXXVI.


De motu Mercurii in Tubo Torricelliano.

Vidi

Vidi quid in Ephemeridibus nouis naturae Curiosorum RAMAZZINO & mihi responderis. Equidem alias caussas concurrere, inprimis ventos, vnde nonnihil haud raro recedatur a regula ipse monui in Actis Eruditorum. Caeterum natet graue in aqua ante descensum, an ex filo in eadem lance suspendatur, nihil ad rem facit, nam vtroque modo a lance sustentatur, nisi cum cadit (*). Hanou. 17 Iun. 1712. Kilonium.

(*) BERNHARDVS RAMAZZINVS anno 1694. Ephemeridibus Barometricis a se editis disquisitionem cel. LVCAE SCHROECKIO dicatam attexuit. In illa in caussam inquirit, cur aër serenus grauior sit pluuio, & quod consequens est, cur Mercurius sudo coelo in tubo Torricelliano adscendat, & contra, quum pluuiae tempestates vel sunt vel instant, descendat. Videlicet propugnat, aërem nitrosis particulis esse refertum, quae quidem pluuia imminente tempestate ad imum deturbentur & ad solum usque praecipitentur. Ab iis igitur pluuia tempestate liberatum aërem vtique reddi leuiorem. Iis autem sereno tempore repletum non posse non esse grauiorem. Non arridebat haec RAMAZZINI sententia SCHELHAMMERO, qui 1696, datis ad eumdem SCHROECKIVM litteris, suspicatus est, aërem pluuium ideo minus in baroscopium grauitare, quod vapores in nubes coeuntes quamdam aëris partem, tempore sereno in Mercurium barometri grauitantem intercipiant. RAMAZZINVS litteris d. 7 Iun. 1698 ad SCHROECKIVM datis in SCHELHAMMERI sententia multa desiderauit. Ad quae quum SCHELHAMMERVS epistola eodem anno ad SCHROECKIVM data responderet; RAMAZZINVS ex instituto SCHELHAMMERO non respondit, tuitus tamen est, neque SCHELHAMMERVM neque se coniecturis suis rationem phoenomeni in tubo Torricelliano declaraturos. LEIBNITII igitur sententiam de hac controuersia requisiuit, qui nouam

plane difficile hoc problema ſoluendi methodum propoſuit. Videlicet LEIBNITIVS in epiſtola ad RAMAZZINVM data tuetur, corpora grauia, dum quieſcunt, non autem, dum per fluidum aliquod deſcendunt, grauitatem ſuam exercere. Quum igitur pluuia tempeſtate guttae tam craſſae euadant in aere, vt non poſſint non deſcendere, aere autem ſereno guttae aquae ita comminuantur atque per aerem diſpergantur, vt per ſe deſcendere nequeant, manifeſtam eſſe exiſtimat rationem, cur aer ſerenus grauior ſit pluuio? Quum autem ſolutio huius Problematis praecipue innitatur poſitioni illi; corpora grauia deſcendendo per fluidum aliquod ſuam grauitatem non exercere: LEIBNITIVS, vt eius veritatem declaret, ad exprimentum aliquod prouocat. Eſto, inquit, tubus A. B. infra clauſus in B. aqua plenus, rectus, ex librae extremo ſuſpenſus, cum pondere oppoſito in aequilibrio conſtitutus. Ibi in aquae ſuperficie natet cauum aliquod corpus D. ex materia graui, caſurum ſi aqua intraret. Ponamus obduratum eſſe foramen, ſed ita, vt paullatim aquae peruium fiat, ergo vbi intrauerit, deſcendet corpus D verſus fundum B. His poſitis, durante deſcenſu corporis D. ceſſaturum eſſe aequilibrium aio, deſcenſurumque pondus C ac totum tubum A B eleuatum iri: cuius ratio manifeſta, quod quantum deſcendit D, in tantum ab aqua in tubo librae non ſuſtinetur et eatenus non reſiſtit ponderi oppoſito. Quum RAMAZZINVS hoc ipſum Experimentum libra non ſatis exacta et tubo nimis breui vſus, primum tentaret, illud Eidem



ex voto non ſucceſſit. Sed quum libra exacta & tubo longiori adhibitis cum Domino IO. GRATIANO Profeſſore Patauino idem Experimentum ſaepius iteraret, abunde

abunde intellexit, LEIBNITIVM veriſſima loquutum eſſe. Loco autem vaſculi in aqua natantis et mox mergendi RAMAZZINVS pondus adhibet ex filo ſuſpenſum, quod filo abſciſſo, durante caſu, in bilancem non grauitat. Idem RAMAZZINVS publice LEIBNITII ſententiam ſuae priori praetulit, atque ſcripta a ſe et a SCHELHAMMERO de hac materia edita et Ephemeridibus naturae curioſorum paſſim inſerta 1710 Patauii iunctim publici iuris fecit, ſequenti indice praefixo: *Ephemerides Barometricae Mutinae olim editae a* BERNARDO RAMAZZINO *in Patauino Gymnaſio Practicae Medicinae Profeſſore, nunc Patauii recuſae cum tota controuerſia, quam idem habuit cum* GVNTH. CHRIST. SCHELHAMMERO *in Kilonienſi Lyceo Med. Prof. Accedit noua epiſtola eiusdem* RAMAZZINI *cum ſolutione Problematis inter ipſos agitati ex inuento* GODOFR. GVIL. LEIBNITII. SCHELHAMMERVS autem in LEIBNITII ſententia non acquieuit, ſed in *Ephemerid. Naturae Curioſorum* Cent. I. et II. append. p. 98. eius ſententiam ſub examen vocauit. Neque vero LEIBNITIVS ſibi defuit, qui in iisdem Ephemerid. Cent. III. & IV. append. p. 49. ſolutionis ſuae rationes vberius expoſuit. conf. Acta Eruditorum Lipſ. 1711. p. 10. vbi a ſummo viro CHRISTIANO WOLFIO *Ephemerides Barometricae* RAMAZZINI recenſentur, et celeb. CHRISTIANVS STEPHANVS SCHEFFELIVS in vita SCHELHAMMERI p. 60. ſeqq.

EPISTOLA XXVII.

I. *Baro de Ilgen & Gundelsheimerus laudantur.* II. *De ſolatio quod litterarum ſtudia praebent.*

I. Quod Regi Boruſſiae deſtinas mittas illuſtriſſimo viro Baroni de ILGEN, Adminiſtro Status, qui rebus pretium ſtatuere nouit, & Archiatro primariae admiſſionis GVNDELSHEIMERO, qui quum in re Botanica excellat, & cum TOVRNEFORTIO Graeciam & Aſiam

adierit plantarum indagandarum cauſſa, Tibi in hoc quoque doctrinae genere verſato libenter fauebit. Iudicio rerum harum intelligentiſſimi rem ſubmittas.

II. Litteras aduerſis rebus ſolatium praebere rectiſſime CICERO dixerat. Itaque ſuaſerim, vt Inſtitutionum opus coeptum vrgere non negligas. Ita enim & animum auertes a cogitatione malorum & Tibi etiam praeſidium parabis. Guelferbyti die 13 Sept. 1712. Kilon.

EPISTOLA CXXVIII.

I. *De Holſtenii meritis in Academiam Kilonienſem.* II. *Carteſianis Medicis.* III. *Coniecturis.* IV. *Solidorum affectionibus.* V. *Stablii medendi methodo.* VI. *Cortice Peruuiano.* VII. *Heluetio.* VIII. *Purgationum vſu.* IX. *Digeſtione.* X. *Hequeti de trituratione libro.* XI. *Oſcillatione*, & XII. *de arte thraſonica.*

I. Quantum ex celeberrimi noſtri KORTHOLTI literis intelligo, fauet illuſtriſſimus HOLSTIVS Academiae veſtrae, et ſubinde ſtipendia annua exſolui curat, de quo merito gaudeo.

II. LISTERVM videbis non ſpernere antiquos. Etiam PITCARNIO laudatur. Etſi Carteſiani Medici ſunt ad fingendum paullo proniores, non tamen negligendos putem famae cauſſa. Et quum aliqui inter illos ingenio et vſu artis non careant, quidni vtilia afferre ſubinde poſſunt? Et quum ſectam conficiant praeſertim in Gallia et Batauis, omnino Tuum eſt excutere eorum κύρια δόγματα. REGIVS et CRANIVS ceteris, ni fallor, duces fuere, et hos

hos sequutus est quidam BROCKHVSIVS iustis operibus.

III. Caeterum ego putem etiam coniecturas ipsas non esse omnino spernendas, quin optem extare coniecturas doctorum virorum de rebus magni momenti, sed hoc curandum est, vt coniecturae a certis separentur, et quod coniectura est coniectura, scapha scapha appelletur.

IV. Etiam de solidorum affectione, ad quam referri haud pauca symptomata debeant, non plane spernendas cogitationes putem. Sane impetum facientia, primaria pars nostri corporis, non in vasis sanguiferis, sed membranis et neruis potius per membra stabulantur. Nec absurda suspicio est, mea qualicunque sententia, caussam immediatam febrium magis in his esse, quam in humoribus. Vnde fit, vt subinde terrore, vel aliqua alia subita et magna animi mutatione, imaginatione etiam curentur febres. Vnde pandiculationes et oscillationes, et alia huiusmodi, quae sedem vtique habent in genere neruoso et membranoso; et apparet in membranis potissimum doloris et voluptatis sedem esse. Ab humoribus erit talium remotior caussa.

V. STAHLII tumentis aliorum ignorantia et mira monstra parturientis vellem excuti sententias. Credo curare eum morbos, vt HARVAEVS quidam ait, exspectatione, i. e. nihil agendo. Vt Iena Legatus Brandeburgicus Ratisbonae dicere solebat: Nihil agendo neminem timeas. Interim suam non-actionem quidam variis quibusdam remediis tegunt, quae

Galli appellarent: miton mitaine. Haec nunc ars eſt ad quaeſtum vberrima illis, qui vt Mucianus apud Tacitum, natura et arte ſunt oſtentatores ſui.

VI. De Cortice Peruuiano mihi ſuſpicio eſt, prodeſſe eum ipſa prauitate ſua, et abominatione, quam excitat. Inde turbari curſum praeſentem naturae corporis aegri, et typum febris. In eam ſuſpicionem incidi, quum intellexi, tantillum Arſenici fere idem praeſtare, etſi peioribus ſymptomatibus.

VII. Helvetius libellum edidit, in quo pro magna parte morborum generoſiora et exquiſitiora remedia ſe afferre pollicetur. Eſt igitur Empiricus, ſed Empirica hodie non poteſt non adhuc magna pars eſſe Medicinae. Et pauca ſunt quorum certas in re tam abdita rationes ſatis conſtitutas habemus.

VIII. Purgationes ego ſaepe prodeſſe puto, non eo modo quo creduntur, praua eiiciendo, ſed ſtimulis ſuis excitando torpentem naturam, eo fere modo, quo vomitus prodeſt in Apoplexia. Has meas coniecturas forte audaculas tuo iudicio ſubmitto.

IX. Digeſtionem in ſtomacho ſola trituratione perfici non putem, quemadmodum etiam non aſſentior Pitcarno ſeparationem in glandulis explicari poſſe ſolis mechanicis rationibus, ſed ſubeſſe phyſici aliquid, nempe praeinexiſtentes iam liquores, quibus alii ex praetereunte ſanguine ſe libenter adiungant.

X. Hequetus celebris fieri coepit in Gallia, libro vernaculo, quo digeſtionem fieri contendit ſola trituratione. Huic alii ſe opposue-

posuere, resque magna contentione acta est. Vidi quaedam vtrinque scripta, sed, ni fallor, more Andabatarum. Pauci hodie qua par est attentione et ἀκριβείᾳ scribunt, et plus datur auribus quam menti. HEQVETVS vernacule scribit. Sed quotus quisque hodie latine scribere nouit?

XI. Oscillationis vocabulum sumsere Medici ab Horologio Oscillatorio HVGENII, quo titulo ille suum librum inscripsit. Intelligit autem penduli ponderis vibrationes. Inde etiam vibrationes quales sunt in chorda tensa oscillationes dici coepere. Et tale quid in corporis nostri fibrillis, sed in inuisibi illo impetum faciente, esse putem, quemadmodum in aere tremor est quum sonum facit.

XII. Sed in inuisibile istud non facile agere possumus, nisi excitando affectus, nam vt mores animi sequuntur temperamentum corporis, ita vicissim corpori saepe per animum succurri potest. Hinc fit, vt vtilis sit ars thrasonica, quia spem facit. Hac ratione saepe prodest anus delira, aut visionarius doctor, quia facilius fallit alios, qui primum se fefellit. Anglus quidam tales vocabat deluded deluders. Hos ad persuadendum esse efficacissimos saepe notaui. Mundus vult decipi. Vn sot trouue tousiours vn plus sot qui l'admire. Hanouerae 1715. d. 19. Nouembr. Kilonium.

EPISTOLA CXXIX.

I. *De Institutionibus Medicis Schelhammeri.* II. *de Introductione Medica Conringii et* III. *de Schelhammeri meritis.*

I. Egre-

I. Egregium opus Tuum Institutionum Medicarum (*) esse absolutum mirifice gaudeo, nec Tibi tantum gratulor, sed & mihi, qui ad eius aggressionem Te magnopere sum adhortatus. Paucissimos enim hodie superesse videbam, quibus cumulate adessent, quae ad ejus elaborationem requirebantur.

II. Itaque si Introductioni Conringianae a Te insigniter auctae (**) hoc opus accedat, habebunt iuuenes in quo tuto pedem figant; habebunt fundamenta quibus inaedificent, quidquid lectio, itinera, praxis suppeditabunt.

III. Sciunt omnes quantum in Anatomica re praestiteris, quantum in Botanica; et Nitro Tuo nuper ostendisti, etiam Chymiae sacraria Tibi non esse inaccessa. (***) Quum sis praeterea versatus in vera Logica, meditandique arte, quam hodie pauci intelligunt, et doctrinae multiplici tot annorum experimenta, obseruata, cogitata denique adiunxeris, non potest fieri, quin aliquid praeclare elaboratum a Te exspectare debeamus. Itaque etiam atque etiam a Te contendo, vt editionem matures. Praeter Germaniam, habebis Angliam, Galliam, Italiam applaudentes. Galli certe quantopere in diario suo Tuum de Nitro recentissimum opus laudarint cum voluptate animaduerti (†) Vale. Dab. Hanouerae 1. Feb. 1715. Kilonium.

(*) Opus hoc Medicum omnibus ex partibus perfectum & ipsa Schelhammeriana manu scriptum asseruat auctoris gener vir doctissimus MARTINVS CHRISTOPHORVS BVRCHARDVS D. et Prof. Med. ord. in Academia Rostochiensi. Sciagraphiam autem huius praecellen-

cellentissimi operis celeb. D. CHR. STEPH. SCHEFFELIVS Vitae Schelhammerianae attexuit p 79-93.

(**) HERMANNI CONRINGII *in vniuersam artem Medicam singulasque eius partes introductio additamentis necessariis aucta, quibus accesserunt* IOANNIS RHODII *aliorumque in arte principum virorum consimilis argumenti concertationes opera studioque* GVNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI Helmstadii 1687 in 4 prodiit. Eadem cum celeberrimi FRIDERICI HOFFMANNI praefatione Halae 1726. recusa est.

(***) G. C. SCHELHAMMERI *de Nitro cum veterum tum nostro commentatio, qua vtriusque ortus et natura excutiuntur, multa de eo veterum Graecorum, Latinorum, Arabum loca corrupta emendantur et explicantur, virtutesque eius et vtilitates ad rectae rationis leges expenduntur* Amstelod. 1709 in 8. prodiit. In quam quidem commentationem cel. RAMAZZINVS in epistola ad SCHROECKIVM data magnum consentit elogium. *Elegantissimum*, inquit, *et doctissimum opus* D. SCHELHAMMERI *de Nitro auide legi et perlegi. Nam re vera omni ex parte est laude dignum, ac tale habitum ab iis, quibus illud legendum tradidi.* conf. SCHEFFELIVS in vita SCHELHAMMERI p. 72.

(†) Conf. Iournal des Scav. T. XLVIII. p. 541.

GODEFRIDI GVILIELMI LEIBNITII

COMMENTATIO DE ANIMA BRVTORVM.

I. *Materia quid?* II. *Cur aliquid passiuum?* III. *Ad actualem motus variationem non sufficit.* IV. *Perceptio nuda ex ea deduci nequit.* V. *Praeter materiam quale principium perceptionis admittendum?* VI. *Bruta habent animam indefectibilem.* VII. *Cartesiani quare hoc negant?* VIII. *Argumen-*

gumento positiuo probatur animas brutorum esse indefectibiles. IX. *Animae separatae naturaliter non dantur.* X. *Non valet consequentia: corpus destruitur ergo et anima.* XII. *Quomodo mors concipi debet?* XII. *In omni entelechia perceptioni respondet appetitus.* XIII. *Quodnam inter perceptionem hominum et brutorum est discrimen?* XIV. *Quaenam inter consequutiones rationales et empiricas differentia?* XV. *Quae insignis inter animas brutorum et hominum diuersitas?*

I. MATERIA in se sumta seu nuda constituitur per Antitypiam et Extensionem. Antitypiam voco illud attributum, per quod materia est in spatio. Extensio est continuatio per spatium, seu continua per locum diffusio. Atque ita, dum antitypia continue per locum diffunditur seu extenditur, nec aliud quiddam ponitur; oritur materia in se, seu nuda.

II. Antitypiae modificatio seu varietas consistit in varietate loci. Extensionis modificatio consistit in varietate magnitudinis & figurae. Hinc patet, materiam esse aliquid mere passiuum, quum attributa eius, earumque varietates nullam actionem inuoluant. Et quatenus in motu solum consideramus varietatem loci, magnitudinis et figurae; nihil ibi consideramus, nisi mere passiuum.

III. Sed si actualem variationem superaddamus, seu ipsum principium motus, accedit aliquid praeter materiam nudam. Eodem modo patet, perceptionem non posse deduci ex materia nuda, quum in actione quadam consistat. Idem de perceptione speciatim hoc modo intelligi potest. Si nihil aliud organico adesset, quam machina, id est, materia nuda, loci, magnitudi-

tudinis et figurae varietates habens; nihil aliud inde deduci et explicari poſſet, quam mechanismus, id eſt, tales, quales diximus varietates. Nam ex vna quaque re nude ſumta nihil deduci et explicari poteſt, quam attributorum eius conſtitutiuorum varietates.

IV. Hinc etiam facile iudicamus in molendino aliquo vel horologio nude ſumto, nullum reperiri principium percipiens, quid in ipſo fiat; et nihil refert, ſolida ſint, an fluida, vel ex vtrisque compoſita, quae in machina habentur. Porro ſcimus, inter corpora craſſa et ſubtilia nullum eſſe diſcrimen eſſentiale, ſed magnitudinis tantum. Vnde ſequitur, ſi concipi non poteſt, quomodo in aliqua machina craſſa, vtcumque ex fluidis aut ſolidis compoſita oriatur perceptio; etiam concipi non poſſe, quomodo perceptio ex machina ſubtiliore oriatur, nam ſi etiam ſenſus noſtri ſubtiliores eſſent, res perinde foret, ac ſi machinam craſſam perciperemus, vt nunc facimus. Itaque pro certo habendum eſt, ex ſolo mechanismo, ſeu materia nuda, eiusque modificationibus perceptionem explicari non poſſe, non magis, quam principium actionis et motus.

V. Et proinde admittendum eſt aliquid praeter materiam, quod ſit tam principium perceptionis, ſeu actionis internae, quam motus, ſeu actionis externae. Et tale principium appellamus ſubſtantiale, item vim primitiuam ἐντελέχειαν τὴν πρώτην, vno nomine animam, quod actiuum cum paſſivo coniunctum ſubſtantiam completam

tam constituit. Patet autem, hoc principium non esse extensum, alioqui materiam inuolueret, contra hypothesin. Ostendimus enim esse aliquid materiae nudae superadditum. Ergo anima erit quoddam substantiale simplex non habens partes extra partes. Vnde porro consequens est, Entelechiam primitiuam naturaliter destrui non posse; quia omnis naturalis destructio in partium dissolutione consistit.

VI. Ex his sequitur vel bruta esse meras machinas, perceptionis expertes, vt statuunt Cartesiani; vel bruta habere animam indefectibilem. Sed quia aliunde, nempe ex natura motus ostensum est, in materia dispersas esse Entelechias primitiuas, easque indefectibiles, quidni eis non tantum actionem motricem, sed et perceptionem tribuamus, vt scilicet pro animabus haberi possint, quando corporibus organicis sunt coniunctae. Idque confirmat ipsa rerum analogia. Quum enim in brutis omnia quoad perceptionem, & sensum perinde se habeant, ac in homine, et natura vniformis sit in varietate sua; vniformis quoad principia, varia quoad modos; verosimile est brutis etiam perceptionem inesse; immo praesumuntur bruta perceptione praedita; donec contrarium probetur.

VII. Cartesiani ad negandam brutis perceptionem rationem adferunt, ex eo sumtam, quod ita brutis animae indefectibiles sint tribuendae. Sed hoc quod plerique inter eos pro absurdo habent, minime absurdum est, quemadmodum mox ostendemus, allata differentia

rentia inter animae brutorum indefectibilitatem,et animae humanae immortalitatem.

VIII. Sed res etiam argumento positiuo et necessario probari potest ex eo; quod omnis Entelechia primitiua debet habere perceptionem. Nam omnis Entelechia prima habet variationem internam, secundum quam etiam variantur actiones externae. Sed perceptio nihil aliud est, quam illa ipsa repraesentatio variationis externae in interna. Quum ergo vbique dispersae sint per materiam Entelechiae primitiuae, vt facile ostendi potest ex eo, quod principia motus per materiam sunt dispersa; consequens est, etiam animas vbique per materiam dispersas esse, pro organis operantes; et proinde etiam corpora brutorum organica anima praedita esse.

IX. Ex his porro intelligi potest, animas separatas naturaliter non dari, quum enim sint Entelechiae primitiuae seu mere actiuae, opus habent aliquo principio passiuo, per quod compleantur.

X. Sed, inquies, corpus organicum posse destrui. Respondeo, etsi destrueretur corpus aptum ad sensionem; non ideo tamen anima destrueretur, maneret enim massa animata et anima continuaret agere intus et extra, etsi minus perfecte, seu non cum sensione. Et talem perceptionem in somno profundo, apoplexia, et aliis casibus retinemus, licet sensus cesset. Sensio enim est perceptio, quae aliquid distincti inuoluit, et cum attentione et memoria coniuncta est. Sed aggregatum con-

fuſum multarum perceptionum paruarum nihil eminentis habentium, quod attentionem excitet, ſtuporem inducit. Nec ideo tamen anima, aut vis ſentiendi in ea foret inutilis, etſi nunc ab exercitio ſuſpenſa eſſet; quia cum tempore maſſa iterum euolui et ad ſenſionem apta reddi poſſet, vt ſtupor ille ceſſet, prout oriuntur perceptiones magis diſtinctae, quando etiam corpus fit perfectius et magis ordinatum.

XI. Et quum hodie plurimi egregii obſeruatores ſtatuant, animalia iam ante conceptionem latere in ſeminibus, ſub forma animalculorum inſenſibilium; ita vt generatio animalis nihil aliud ſit, quam eius euolutio et augmentatio, animalque nunquam naturaliter incipiat, ſed tantum transformetur: ideo conſentaneum eſt, vt quod naturaliter non incipit, etiam naturaliter non deſinat; ita mors viciſſim nihil aliud erit, quam animalis inuolutio et diminutio; dum a ſtatione animalis magni ad ſtatum animalculi redit. (*)

XII. Porro vt in nobis intellectioni reſpondet voluntas, ita in omni Entelechia primitiua perceptioni reſpondet appetitus, ſeu agendi conatus ad nouam perceptionem tendens. Neque enim tantum in percipiente varietas obiecti repraeſentatur, ſed etiam fit variatio ipſius repraeſentationis, quia etiam repraeſentandum variatur.

XIII. Interim ne hominem bruto nimis aequare videamur; ſciendum eſt, immenſum eſſe diſcrimen inter perceptionem hominum et bru-

torum

torum. Nam praeter infimum perceptionis gradum, qui etiam in ſtupentibus reperitur, (vt explicatum eſt) et medium gradum, quem ſenſionem adpellamus, et in brutis agnoſcimus, datur gradus quidam altior, quem adpellamus cogitationem. Cogitatio autem eſt perceptio cum ratione coniuncta, quam bruta, quantum obſeruare poſſumus, non habent.

XIV. Quia autem ea res hactenus non bene explicata eſt, dum alii brutis etiam ſenſum auferunt; alii illis etiam rationem tribuunt, multaque exempla afferunt, in quibus bruta conſequentias quasdam nectere videntur; ſciendum eſt, duplices eſſe conſecutiones toto coelo diuerſas empiricas et rationales. Conſequutiones empiricae nobis ſunt communes cum brutis, et in eo conſiſtunt, vt ſentiens ea, quae aliquoties coniuncta fuiſſe expertum eſt, rurſus coniunctum iri expectet. Ita canes aliquoties vapulantes, ſi quid diſplicens fecerint, rurſus verbera expectant, ſi idem faciant, atque ideo ab actione abſtinent; quod cum infantibus habent commune. Et Americanus quidam putauit epiſtolam proditricem facinoris ſui fuiſſe ſpectatricem, quia illi modi aliquid prodendi, qui ipſi noti erant, hoc ita ferebant. Sed quia ſaepe fit, vt talia tantum per accidens ſint coniuncta, hinc ſaepe empirici decipiuntur, prorſus vt bruta; vt ſcilicet, quod expectant, non eueniat. Sic ſi cani aliquid facienti dem cibum, id quidem fit per accidens ob liberam voluntatem meam; vbi vero ſemel aſſueuit actioni, quam eum docere volui, non

amplius ei do cibum, quum recte agit, etsi ille hoc initio adhuc exspectet. Sic si quis Batauus nauem conscendens in Asiam deferatur, et in aliquam Turcarum vrbem delatus, ibi cereuisiam in taberna, vt domi suae quaerat, decipietur eodem modo; exspectabit enim aliquid a taberna, quod cum ea tantum per accidens coniunctum est, et non aeque in Asiaticis, ac in Batauis tabernis reperitur. At homo, quatenus non empirice sed rationaliter agit, non solis fidit experimentis, aut inductionibus particularium a posteriori, sed procedit a priori per rationes. Et quale est discrimen inter Geometram, aut Analyseos peritum et Arithmeticum aliquem vulgarem, pueros docentem, qui regulas arithmeticas memoriter didicit, sed rationem earum non nouit: nec proinde in quaestionibus nonnihil a consueto recedentibus sibi consulere potest: tale est discrimen inter Empiricum et Rationalem; inter consecutionem bestiarum, et ratiocinationem humanam. Etiamsi enim multa exempla succedentia experiamur; nunquam tamen de perpetuo successu securi sumus, nisi rationes necessarias reperiamus, vnde colligamus, rem aliter se habere non posse. Itaque bruta (quantum obseruare possumus) non cognoscunt vniuersalitatem propositionum, quia non cognoscunt rationem necessitatis. Et licet aliquando Empirici per inductiones ducantur ad propositiones vere vniuersales; id tamen per accidens tantum, non vi consecutionis contingit.

XV. Denique homo a Deo destinatur ad finem

nem multo ſublimiorem, nempe ad ſocietatem cum ipſo; et ideo (ob harmoniam regnorum naturae et gratiae) ſtatuendum eſt, animas humanas, vna cum organico quodam corpore conſeruari, non tantum eo modo, vt bruta; quae fortaſſe poſt mortem diu ſtupent; ſed modo nobiliore, vt ſenſum et conſcientiam retineant, poenaeque et praemii ſint capaces. (**)

(*) Conf. quae de hac ipſa materia LEIBNITIVS diſputat in epiſtola CXCIV. n. 2. ad Parentem meum data.

(**) Hoc ipſum argumentum LEIBNITIVS in epiſtola CXCV. ad Parentem meum ſcripta n. 4. perſequitur.

EPISTOLA CXXX.

AD

D. RVDOLPH. CHRISTIAN. WAGNERVM,

Mathematum in Academia Helmſtad. Profeſſ. Ordinar.

I. *Wagneri ſententia, quod materiae vis actiua poſſit tribui, recenſetur.* II. *Ad eius argumenta Leibnitius reſpondet.* III. *Animae definitio.* IV. *Omni principio vitali, ſi a Deo diſceſſeris, adiunctum eſt corpus organicum.* V. *Quaenam inter animas brutorum et hominum differentia?* VI. *Leibnitii de anima brutorum ſententiae cum Theologia concordia.*

I. Ad ea, quae de animae natura quaeris, lubens reſpondeo, quoniam ex dubio, quod moues, intelligo, mentem meam Tibi nondum ſatis perſpectam eſſe idque praeiudicio quodam contigiſſe, hauſto ex ſchediaſmate

te meo, inserto Actis eruditorum, vbi de vi actiua corporis, contra CL. STVRMIVM egi. (†) Ais, me ibi satis materiae vim actiuam vindicasse, et dum resistentiam materiae tribuo, eidem etiam tribuisse reactionem, atque adeo et actionem. Quum itaque vbique in materia sit principium actiuum, videri sufficere hoc principium ad operationes brutorum, nec illis anima quadam indefectibili opus esse.

II. Respondeo primo principium actiuum non tribui a me materiae nudae siue primae, quae mere passiua est, et in sola antitypia et extensione consistit; sed corpori seu materiae vestitae siue secundae, quae praeterea Entelechiam primitiuam seu principium actiuum continet. Respondeo secundo, resistentiam materiae nudae non esse actionem, sed meram passionem, dum nempe habet antitypiam, seu impenetrabilitatem, qua quidem resistit penetraturo, sed non repercutit, nisi accedat vis elastica; quae ex motu, adeoque et vi actiua materiae superaddita, deriuari debet. Respondeo tertio: Hoc principium actiuum, hanc Entelechiam primam, esse reuera principium vitale, etiam percipiendi facultate praeditum, et indefectibile, ob rationes dudum a me allegatas. Idque ipsum est, quod in brutis pro anima ipsorum habeo. Itaque dum vbique in materia superaddita admitto principia actiua, etiam vbique per eam disseminata statuo principia vitalia, seu percipientia, adeoque monades, et vt sic dicam, Atomos Meta-

taphyſicas, partibus carentes, nec vnquam naturaliter orituras aut deſtruendas.

III. Quaeris deinde definitionem animae meam. Reſpondeo, poſſe animam ſumi late et ſtricte. Late anima idem erit quod vita ſeu principium vitale, nempe principium actionis internae in re ſimplici ſeu monade exiſtens, cui actio externa reſpondet. Isque correſponſus interni et externi ſeu repraeſentatio externi in interno, compoſiti in ſimplice, multitudinis in vnitate, reuera perceptionem conſtituit. At hoc ſenſu anima non tantum animalibus, ſed et omnibus aliis percipientibus tribuetur. Stricte anima ſumitur pro ſpecie vitae nobiliore, ſeu pro vita ſenſitiua, vbi non nuda eſt facultas percipiendi, ſed et praeterea ſentiendi, quando nempe perceptioni adiungitur attentio et memoria. Quemadmodum viciſſim mens eſt ſpecies animae nobilior, nempe mens eſt anima rationalis, vbi ſenſioni accedit ratio ſeu conſequutio ex vniuerſalitate veritatum. Vt ergo mens eſt anima rationalis, ita anima eſt vita ſenſitiua, et vita eſt principium perceptiuum. Oſtendi autem exemplis et rationibus, non omnem perceptionem eſſe ſenſionem, ſed dari perceptionem etiam inſenſibilium. Ex. gr. non poſſem ſentire viride, niſi perciperem caeruleum et flauum, ex quibus reſultat. Interim caeruleum et flauum non ſentio, niſi forte microſcopium adhibeatur.

IV. Memineris autem, ex ſententia mea, non tantum omnes Vitas, omnes Animas, omnes Mentes, omnes Entelechias primitiuas

esse perennes, sed etiam omni Entelechiae primitiuae, seu omni principio vitali perpetuo adiunctam esse quandam naturae machinam, quae nobis corporis organici nomine venit, (††) licet ea machina etiam quum figuram suam summatim conseruat, in fluxu consistat, perpetuoque reparetur, vt nauis Thesei. Neque adeo certi simus vel minimam materiae in natiuitate a nobis acceptae particulam in corpore nostro superesse: licet etiam eadem machina subinde plane transformetur, augeatur, diminuatur, inuoluatur aut euoluatur. Itaque non tantum anima est peremnis, sed etiam aliquod animal semper superest, etsi certum aliquod animal perenne dici non debeat, quia species animalis non manet; quemadmodum eruca et papilio idem animal non est, etsi eadem sit anima in vtroque. Habet igitur hoc omnis naturae machina, vt nunquam sit plane destruibilis, cum crasso tegumento vtcunque dissipato, semper machinula nondum destructa subsit, instar vestium Arlequini comici, cui post multas tunicas exutas, semper adhuc noua supererat. Quod eo minus mirari debemus, quia natura vbique organica est, et a sapientissimo autore, ad certos fines ordinata, nihilque in natura incultum censeri debet, etsi interdum non nisi rudis massa nostris sensibus appareat. Ita igitur eximus omnes difficultates, quae ex natura animae prorsus ab omni materia separatae nascuntur, (†††) ita vt reuera anima animalue ante natiuitatem aut post mortem ab anima aut animali vitam praesentem viuen-

viuente, non nisi rerum habitu et perfectionum gradibus non vero toto entium genere differat. Idemque de Geniis sentio, esse mentes corpore valde penetrante, et ad operandum apto, praeditas: quod fortasse pro lubitu mutare possunt, vnde etiam animalia appellari non merentur. Itaque omnia in natura sunt analogica, et facile ex crassis subtilia intelligi possunt, quum vtraque eodem modo se habeant. Solus DEVS substantia est vere a materia separata, quum sit actus purus, nulla patiendi potentia præditus, quae vbicunque est, materiam constituit. Et vero omnes substantiae creatae habent antitypiam, per quam fit naturaliter, vt vna sit extra alteram adeoque penetratio excludatur.

V. Etsi autem principia mea sint generalissima, nec minus in homine quam in brutis locum habeant, mirifice tamen prae brutis eminet homo, et ad Genios accedit, quia ob rationis vsum societatis cum Deo, atque adeo praemii et poenae in diuina gubernatione est capax. Itaque non tantum vitam & animam, vt bruta, sed et conscientiam sui, et memoriam pristini status, et vt verbo dicam, personam seruat. Nec tantum physice, sed etiam moraliter est immortalis: vnde stricto sensu soli Humanæ Animae immortalitas tribuitur (*). Nam nisi sciret homo, in altera vita poenas aut praemia sibi tribui ob hanc vitam, reuera nulla esset poena, nullum praemium, et perinde foret, quoad rem moralem, ac si me extincto alius felicior aut infelicior successisset. Itaque

ſtatuo animas quidem in animalculis ſeminalibus inde ab initio rerum latentes non eſſe rationales, donec per conceptum ad vitam humanam deſtinentur: vbi vero ſemel rationales factae ſunt, et conſcientiae ac ſocietatis cum Deo capaces redditae, ſentio, numquam eas deponere perſonam ciuis in Republica DEI, quae quum iuſtiſſime et pulcherrime regatur, conſequens eſt, vt per ipſas naturae leges, ob parallelismum regni gratiae et naturae, Animae vi ſuarum actionum ad praemia et poenas reddantur aptiores. Eoque ſenſu dici poteſt, virtutem ſibi ipſi praemium, ſcelus ſibi ipſi poenam adferre, quia naturali quadam conſequentia pro vltimo animae ſtatu, prout expiata aut non expiata decedit, naturale quoddam oritur diuergium, a Deo in natura praeordinatum, et diuinis promiſſis minisque, ac gratiae iuſtitiaeque conſentaneum; Geniorum etiam bonorum malorumque accedente interuentu, prout alterutris nos ſociauimus, quorum operationes vtique ſunt naturales, etſi natura eorum noſtra ſit ſublimior. Videmus ſane hominem a ſomno profundo euigilantem, imo etiam ab apoplexia ad ſe reuerſum memoriam ſtatus priſtini recuperare ſolere. Idem de morte dicendum eſt, quae perceptiones noſtras turbatas et confuſas reddere poteſt, delere plane ex memoria non poteſt, cuius uſu redeunte etiam praemia et poenae locum habent. Itaque Saluator ipſe mortem ſomno comparauit. Brutis autem diuinae ſocietatis et iuris incapacibus, perſonae conſeruatio, et moralis immortalitas tribui non poteſt.

IV.

VI. Itaque non eſt, quod quis ex hac doctrina conſequentias periculoſas vereatur: quum potius Theologia naturalis vera, veritati reuelatae non ſolum non repugnans, ſed etiam mirifice fauens, ex meis principiis pulcherrima ratione demonſtretur. Qui vero brutis animas, aliisque materiae partibus omnem perceptionem et organiſmum negant, illi diuinam maieſtatem non ſatis agnoſcunt, introducentes aliquid indignum DEO, et incultum, nempe vacuum perfectionum ſeu formarum, quod metaphyſicum appellare poſſis, non minus reiiciendum, quam vacuum materiae ſeu phyſicum. Qui vero animas veras perceptionemque dant brutis, et tamen animas eorum naturaliter perire poſſe ſtatuunt, etiam demonſtrationem nobis tollunt, per quam oſtenditur, mentes noſtras naturaliter perire non poſſe, & in Socinianorum dogma incidunt, qui animas non niſi miraculoſe ſeu per gratiam conſeruari putant, natura autem perire debere arbitrantur; quod eſt Theologiam naturalem maxima ſui parte mutilare. Praeterea contrarium vtique demonſtratum eſt, quia ſubſtantia carens partibus deſtrui naturaliter non poteſt. Vale et faue. Dabam Guelferbyti 4. Iunii 1710.

(†) Conf. Acta Eruditorum ann. 1694. menſe Martio, 1695. menſ. April p. 145. et 1698. menſ. April. p. 427.

(††) Spiritus finitos omnes corpora habere organica LEIBNITIVS tuetur in Theodicaea §. 124. Idem propugnat Ep. V. ad SAMVELEM CLARCKIVM data §. 61. Tom. I. *du Recueil de diuerſes pieces, ſur la Philoſophie etc.* p. 118. et 119. et in principiis Philoſophiae Sect XI. T. VII. Supplem. Actorum Erudit. inſertis. Cele-

berr

berr. GEORGIVS BERNHARDVS BÜLFINGERVS in Dilucidationibus philosophicis §. 245. p. 235. LEIBNITII de hac materia sententiam sequentibus verbis edisserit: *Non omnes*, inquit, *spirituum finitorum ideae, saltim de hoc mundo conceptae, possunt esse distinctae. Quum enim connexa sint ex ipsius sententia in toto vniuerso omnia, distinctam perfecte ideam de nulla re habere possunt, nisi habeant de omnibus. Id autem solus DEVS potest. Igitur habent confusam. In confusa, vbi scilicet plura illa, quae non distincte exhibentur, coincidunt, adest repraesentatio extensionis & compositi, adeoque idea materiae. Iam porro, quoniam res mundanae non repraesentantur, vt in sese sunt, (hoc enim requirit ideam perfecte distinctam;) sed vt mutuis relationibus se inuicem respiciunt, et in se inuicem agunt*: *patet repraesentationes illas rerum sequi aliquam partem rerum, veluti typum, qui et ipse, quoniam aliquatenus confuse repraesentatur, repraesentatur* vt compositum quid. *Si igitur ille typus repraesentationum plus minus constans sit; si relationes rerum vnas prae aliis per alias aliasque sui partes repraesentet, sic vt pro obtinendis ideis claris et distinctis quoque aliae repraesentationes aliis extantiores sint; si imperio spirituum subsit: Iisdem ille characteribus donatus est, quibus anima mea suum corpus agnoscit. Igitur nisi existimes, Spiritus illos iudicare, quemadmodum Idealistae solent nostrates, iudicabunt ipsi se habere corpora organica. Saltim illi generaliter loquendo habebunt repraesentationem corporis cuiusdam* organici, vt sui, *quemadmodum nos habemus*. conf. quae de eadem materia ven. BÜLFINGERVS l. c. §. 366. p. 369. s. disputat.

(†††) Non sine veritatis specie in systemate LEIBNITII et CHR. WOLFII contra animae immortalitatem, obiicitur: *Anima est substantia repraesentatiua huius mundi pro situ corporis organici in mundo. Tolle corpus, typum illum, secundum quem mundus repraesentatur: tollis repraesentationem. Sine repraesentatione nulla spiritualitas; nulla immortalitas.* Hanc ipsam obiectionem autem nullo negotio remoueri, si cum LEIBNITIO defenda-

tur,

tur, numquam deesse spiritibus finitis corpora, quis non intelligit? conf. vener. BÜLFINGERVS l. c. §. 365. p. 393. seqq.

(*) Quid secundum LEIBNITII et WOLFII principia de immortalitate animae sit statuendum doctissimus LVDOV. PHIL. THÜMMIGIVS in dissertatione de immortalitate animae §. 6. sequentibus verbis recenset: *Ostendendum est,* inquit, 1. *animam hominis a morte corporis superesse, nec essentiam eius cum essentia corporis actualitate priuari:* 2. *Animam ita superstitem in statu perceptionum distinctarum perseuerare.* 3. *Eamdem statuum suorum praeteritorum ita recordari, vt eos ad se pertinere agnoscat. Quatenus essentia animae,* quoad actualitatem existentiae, *a morte corporis perennat, indestructibilis dicitur: quatenus vna in statu perceptionum distinctarum perseuerat, et sui ipsius memoriam habet, immortalis appellatur.* conf. celeb. BÜLFINGERVS l. c. §. 359. p. 384. s.

EPISTOLA CXXXI.

AD

OLAVM ROEMERVM.

Quondam S. Reg. Mai. Daniae a Consiliis Status.

I. *De inuentis Römerianis.* II. *Status controuersiae de emendatione Calendarii Iuliani.* III. *Leibnitius Römeri de hac controuersia iudicium sibi expetit.*

I. Multum debeo Generosissimo WALTHERO nostro, quod ex tanti temporis interuallo, manus tuae pretioso pignore ad me misso sopitam inter nos notitiam resuscitauit. Quamquam subinde retulerint, qui a vobis veniebant, superesse Tibi benignam memoriam mei

mei, neque ego omiſerim data occaſione teſtari, quantum Te colam. Inprimis oſtendi apud amicos communes, mirari me ſilentium Tuum, qui abundans inuentis et cogitatis praeclaris, non ſatis memor eſſe videaris aut Tui Tuaeque patriae decoris aut publicae vtilitatis. Videram olim Pariſiis particulam Tuorum de Epicycloide et rotarum dentibus inuentorum ſubtiliſſimorum, quae primus mihi laudarat Hvgenivs. Ea dum edere cunctaris, alius quidam, & ipſe egregius, proprio, vt ſpero, ductu, ſed tamen poſterior Te cognitione, edere anticipauit. Ita Tu quid in eo genere praeſtiteris, plerique omnes, extra paucos amicos rerum veterum conſcios, ignorant. Fateor alicubi machinas Aſtronomicas ſane pulcherrimas, ad TE auctorem ſuum referri, ſed ne hoc quidem ſatis conſtanter et ſignificanter. Tu quidem iſta facile transmittis, ego tamen ſuum cuique tribui valde laetor, non alia magis cauſa, quam quod gloria virorum bene meritorum, quam Tu quidem et habes et mereris in primis, praeclara ingenia excitare video ad aemulationem. Vtinam vero colligas complura egregia quae parata haud dubie habes, et ſiue ſingulatim in diariis eruditorum, ſiue collectim edas. In primis optem indiculum talium nanciſci poſſe, ſed ad literarum Tuarum argumentum venio.

II. Ex quo de Calendarii Iuliani emendatione decretum Ratisbonae factum eſt, et per omnes in imperio Proteſtantium ditiones edictis

ctis publicis ſancitum, duas quaeſtiones moueri video, quarum prior, quae magis ad Legislatores pertinet, illa eſt: Seruandumue ſit per omnia decretum an inflectendum? altera, quanam optima ratione effectui dari poſſit? Conſiderationes quidem Tuae, vir eximie, ad vtramque quaeſtionem pertinent. Ad priorem refero, tum quod notas calculum Aſtronomicum non ita notum eſſe negotio quam prima fronte videtur, (cui malo an mederi liceat, alterius quaeſtionis diſcuſſio, de executione decreti ſcilicet, oſtendet) tum quod obſeruas diſcrimen, quod ſupereſt inter noſtros et Gregorianos raro euenire, adeoque tanti non videri, vt ab illis abeamus. Quamquam hoc quidem ipſum potius in argumentum ſeruandae ſeparationis traxerint, vt ſcilicet hac ratione pene omnia commoda acceſſionis ad Gregorianos ſine ipſa acceſſione conſequamur ſalua Euangelica, quam vocant, libertate dignitateque partis, tum quod maxime nos cedendo aduerſariorum quotidianae in hac ipſa cauſſa vehementiae, vti ſcilicet noſtros in poteſtate habent, ad plura eos audenda, ſi hac via ipſis res procedat, inuitare facilitate, et ſic dicam molliri noſtra, videremur, quae ſi abfuiſſet ſpecies, fortaſſe plura impetrari potuiſſent. Optandum erat, vt executioni decreti (de qua ſola non dicam) ipſum decretum ſatis prouidiſſet. Sed hoc dum factum non eſt, priuati quidam officium publicum occuparunt, & cum ordinum Euangelicorum placito ex comitiis, quaſi appendix quædam, huc illuc miſſum eſt anni primi refor-

mati

mati ſchema, ac ſine examine, vt apparet vllo, receptum, quo tamen decreti praeſcripta violata videri poſſunt. Fateor non deeſſe autoribus rationes ſuas, ſed quae multis non ſatis faciunt. Vrgebat autem breuitas temporis relicti, vt optandum adeo fuiſſet hunc annum transmiſſum pro ſpatio deliberandi. Sed credo, vbi iam haec in mentem venere, decretum iam ſcriptum erat, emendationisque dies dictus. Veriſſime notas, ex decreti tenore canonibusque aſtronomicis, quum plenilunium Paſchale huius anni incidat, in tertium Aprilis diem proximo die dominico, id eſt, quarto die Aprilis Paſcha fuiſſe celebrandum, itaque merito ais; quomodo vero iuxta principia Aſtronomica Paſcha Evangelicorum eo anno in XI. Aprilis proceſſerit? non video. Dicam tamen, quid pro auctoribus ſchematis afferri acceperim. Aiunt, ſi in quartum Aprilis Paſchatos feſtum retuliſſent, futurum fuiſſe, vt ab Euangelicis celebraretur cum Iudaeis. Nam conſuetudine apud Iudaeos receptum narrant, vt, quoties plenilunium paſchale in horas diei ſabbathi antemeridianas incidit, agnum paſchalem edant veſpera praecedente. Paſcha autem celebrent ipſo ſabbatho. Sin plenilunium cadat in horas pomeridianas eo ipſo die agnum paſchalem coenent, et feſtum Paſchatos diem agant Dominica ſequente. Alii vero opponunt, etiamſi haec ita ſe habere concederentur, noſtros tamen canones non debere ire a conſuetudinibus Iudaeorum male receptis, ſed in regulis, quas ipſis Deus praeſcripſit, et quas reſpe-

ſpexit Eccleſia, quum quartadecimanos reiecit. Itaque ſufficere, vt quartadecima luna euitetur dies Iudaeorum Paſchalis ex lege. Ego neque rem, quae facti eſt, excuſſi, neque iudicium meum interpono, putaui tamen, non ingratum Tibi fore intelligere, quid vtrinque dicatur?

III. In futurum autem de tota re maiore erit cura cogitandum, ne aliis ludibrio ſimus decreta publica priuata autoritate refigendo, vbi neminem video, quem habeant Imperii ordines Proteſtantes, dum Reges ſeptentrionis illis computo, qui Te maturius iſta expendere, ſolidiusque diiudicare poſſit, et quicum conferri mallem. Sed quo omnia recte atque ordine fiant conſultum putem, Corpus Euangelicum nonnullis membris ſuis quadam noua inſolita deputationis ſpecie, rei Calendariae rite introducendae curam committere, vt decretum recte executioni committatur, ita tamen, vt ſi maior incidat difficultas, referatur ad Corpus. Quibus autem ex ordinum numero ea res committeretur, ſi per mathematicos delectos cum viris ſcientia praeſtantibus communicare posſent? Eaque inprimis agenda ſunt mature, quia annus 1704. non longe eſt, cui certam formam intereſt dari. Hoc tranſacto antequam ad annum 1724. perueniatur altiori deliberationi locus eſſe poſſet, placeatne vnice ſtare decretis, an propius accedere ad Gregorianos? Haec mihi, vir illuſtris, acceptis heri tuis, reſponſionem ex Waltheriano monitu, Tuoque iuſſu feſtinanti occurere, quae iudicio Tuo, qui

in hoc genere regnas, plane submitto. Va
Dabam Hanouerae 20. Ianuar. 1700.

EPISTOLA CXXXII.

I. *Roemero suadet, vt Calendarium reformet.* II. *De m dis componendi de emendatione Calendarii controue. sias a Roemero propositis iudicium.* III. *Obseruatoriu quomodo parandum?*

I. MVltas Tibi gratias ago, quod praeclar monita tua ignorare me non sinis. Curabo, vt ad Cl. IVNIVM perueniant quae de Ephemeridibus condendis suades, arbitrorque, neminem esse, cuius hic apud eum, plus quam Tua valere debeat auctoritas, et si suggeras, quid in KEPLERI tabulis mutandum putes, habebis eum haud dubie prorsus obsequentem. Vtinam totum Calendarii reformandi negotium tractare velles ex professo. Ego certe Legato nostro Domino SCHRADERO nuper Ratisbonam scripsi, mea sententia rectissime facturos Dn. MAIERVM caeterosque, si tua consilia sequantur κατὰ πόδα. Neminem enim esse in ditionibus Principum aut Potestatum, quibus ius suffragii est in Comitiis Imperii, qui tecum in Astronomiae profundioris cognitione conferri queat, praesertim quum ipsam obseruandi artem adiunxeris.

II. Ex tribus modis, quos proponis, vix ausim sperare vt postremus, etsi expeditissimus, eligatur, quum ab antiquis et receptis regulis plerique sine magna necessitate non putent recedendum. Et quum multum ad Reformationem Calendarii praesentem contulerint incommoda

moda crebri diſſenſus a Gregorianis, quae in Germania experimur, nolent noſtri in ea ipſa incidere, quae per Reformationem iſtam euitare voluerunt: Ergo, inquies, rectiſſime facerent, ſi Gregorianam correctionem bona fide complecterentur, quam primam proponis viam. Id ego quoque commodiſſimum putem, ſed vti habitus minorum eſſe video, non facile video huc deſcendent, niſi ipſa neceſſitate compulſi, quod tandem futurum arbitror. Interea igitur poſt decreta Comitialia de media illa via qualicunque et qualitercunque conſtituenda, Ratisbonae eſt cogitatum a Noſtris, placuitque ex Rudolphinis Tabulis deduci plenilunia Paſchalia, donec nouae tabulae auctoritate corporis Evangelici recipiantur, quod fiet, credo, ad Calendas Graecas; interea vero dum de Cyclorum fallaciis queruntur, vereri debent, ne in alias fallacias incidiſſe, dicantur. Tres Mathematici ſane docti STVRMIVS, HAMBERGERVS et MEIERVS, ERHARDI WEIGELII, praeceptoris quondam ſui, conſilia ſequuti, ſperant Collegium Mathematicum fundari poſſe ſumtibus ordinum Euangelicorum, vel potius priuilegio Monopolii Calendarii, quo fiat, ne quis impoſterum ſine ipſorum venia Calendarios libellos edat. Sed vereor, vt in tanta rerum Germanicarum confuſione, & Principum Statuumque Imperii multitudine in praxin deduci res poſſit. Ita timendum eſt, ne tandem pertaeſi perturbationum Noſtri ſero et minus decore ad Gregorianos ſe recipere cogantur, quum maturius honorifica magis ratione

tione

tione ſponte & conſilio conuenire cum illis p(
ſent. Ejus rei commodiſſima iniri poſſet v
ſi quid eſſet in Gregoriana ratione, quod ſi n
emendatione, certe explicatione indigeret,
neutra pars alteri, ſed utraque veritati obſ
quuta videri poſſit. Dictae emendationes mag
ſubtiles, quam neceſſariae videntur. FRANCI
CVS LEVERA in ipſa vrbe Romana conſil
quaedam de emendando Gregoriano Calend
rio, vel potius recte intelligendo, edidit. (
Et forte re bene conſiderata non deerunt, qua
bullae nouae materiam praebere poſſint, it
honeſtiſſime Labyrintho exiremus. Cui rei
vt praeparentur animi, vtiliſſimum erit, expo
ni clariſſime difficultates, quibus media illa vi
laborat. Et quum Dominus MEIERVS eas lice
iam perceptas in literis ad Te ſuis praeterierit,
faxo, vt ſi quae porro ad me deſtinabis, aliisque
communicare permittes, mature paſſim expendantur a nonnullis, ad quos ea res pertinet. Conſultum tamen fortaſſe erit cauere, ne ſtatim pateat, ad Gregorianos tandem eſſe deueniendum, ne praeiudicatae opinioni bellum indictum videatur, et plerique primo aſpectu abſterreantur. Sufficit optima conſilia paulatim inſinuari. Sed totum tamen hoc tuo iudicio eſt permittendum.

III. Antequam finiam vſus beneuolentia Tua conſilium a Te flagitare audeo, quid faciendum putes, ſi quis Princeps mediocre obſeruatorium parare conſtituerit? in quo vnus alteri Obſeruator coelo inuigilare debeat, vbi quaeſtio erit, tum de ſtructura, tum de inſtrumentis maxime

me profuturis. Vale & faue. Dabam Hanou. die Martii 5. 1700.

(*) De Calendarii emendatione et FRANCISCI LEVERAE de Calendario Gregoriano obseruationibus LEIBNITIVS anno 1700. ad Academiam scientiarum Parisiensem dedit litteras, quas in libro, cuius index: *Recueil de Literature, de Philosophie et d'histoire* Amstelodami 1730. edito p. 147. seq. reperias.

EPISTOLA CXXXIII.

AD

TIEDIVM,

Mathematum et S. Theologiae in Acad. Kilon. cultorem. (*)

De emendatione Calendarii.

Ex Domino KIRCHIO hic intellexi, non assentiri eum per omnia Tuae periodo; idque ipsummet vobis significasse. Itaque velim rem inter Vos amplius discutiatis. Non ignoras Romae iam ipsius Gregoriani Calendarii siue emendationem siue explicationem aliquam agitari. Itaque tempus est, vt Vos ibi quoque vestra cogitata produci curetis. Dominus Abbas BLANCHINVS, Congregationis nouae in eam rem institutae secretarius, mihi est amicus, sed et Cardinalis NORISIVS nuper mei beneuole meminit erga amicum, itaque si qua suggerere possetis, quae non nimis ab instituto Gregoriano abhorrerent, gratam rem praestaretis,

 quam

quam ego communicarem libens. Amplissi REYHERO me commendari peto. Vale. I bam Berolini 16. Nouembr. 1701.

(*) TIEDIVM anno 1705. diem suum obiisse ex epis la LEIBNITII CXXXV. n. 2. ad SAMVELEM RE HERVM data constat.

EPISTOLA CXXXIV.

I. *Cassini de Cyclo Tiedii iudicium.* II. *Status controuersi de emend. Calendarii.* III. *Leibnitius Tiedio auctor es vt concionandi vsum retineat.*

I. CASSINVS nuper a FONTENELLO, Academiae Regiae Parisinae Secretario, monitu meo interrogatus, quid potissimum in Tuo elegantissimo Cyclo displiceret, id respondit: quod non esset centenaria periodus, quod miror. Quasi id referret nisi forte apud Gregoriana quouis pretio retinere volentem.

II. Ratisbonenses nostri omnes cyclos praedamnauerunt: adeoque commendatio Cycli Tui vlterior inutilis erit. Pro ipsis autem excogitanda esset ratio vtcumque Astronomica, per quam tamen vix hoc seculo a paschate Gregoriano discedatur, nisi praestat exspectare quam Gregoriani sui computi emendationem moliuntur.

III. Gratum est, quod intelligo Te Theologiae dedisse operam, suaserimque, vt concionandi vsum retineas. Ita enim certa ratio nobis offerretur curandi, vt aliquando euoceris ad honestam stationem, in qua propius adesse societati nostrae, et praeclara coepta melius continuare

nuare possis. Interim optem, vt calculis vsum obseruandi adiungas. Obseruationum enim maxima merito ratio habetur. Celeberrimum REYHERVM meo nomine impertias plurima salute. Vale et faue. Dabam Berolini 28. Ianuarii 1703.

P.S. Scribit mihi Societatis Anglicanae Regiae Secretarius, Cyclum Tuum, quantum sciat, ad societatem non peruenisse. Sed fortasse non satis aduertit.

EPISTOLA CXXXV.

AD

D. SAMVELEM REYHERVM,

Iuris et Mathematum in Acad. Kiloniensi Professorem ordinarium.

I. *Reyheri elogium.* II. *De Tiedii morte.* III. *Status controuersiae de emendatione Calendarii.*

I. Nihil a Te nisi doctum proficiscitur, & vnde proficere possimus, siue Iurisprudentiam tractes, siue historiam, siue Mathesin. Itaque optem, Tua multa edita et inedita aliquando in fasciculum colligi. Pro iis, quae misisti, multas ago gratias.

II. TIEDII nostri mortem ex Tuis primum literis didici, eique indoleo. Superiore anno miseram ipsi prolixam ad me BLANCHINI Epistolam, quae discursum constituebat. Nescio

ſcio an Tibi communicauerit. Nunc mihi r mitti optarem.

III. Ex eo tempore nihil de re Calendai Romana didici. Aegre illic adducentur h mines, vt intercalandi rationem mutent. Qu ſupereſt vale et faue. Dabam Hanou. II. I 1705.

P. S. Adiectos ad Dominum KORTHOLTV mitti peto. Ne quaeſo ſupprime, quae cir Longitudinum problema excogitaſti. (*)

(*) Pleraque omnes huius Problematis ſolutiones SAM EL REYHERVS recenſuit diligenter, et quid in vi quaque deſiderandum maxime ſit erudite excuſſit in co mentatione de Bacillis Sexagenalibus p. 26. ſeq. et p. . conf. viri doctiſſimi FRIDERICI KOSII diſſert. ratione perficiendi geographiam mathematicam, qu Kilonii 1721. lectionibus ſuis Coſmographicis praemiſit.

EPISTOLA CXXXVI.

I. *De MSc. Gudianis.* II. *De mutato obtenta prope Ho ſtadium victoria Europae ſtatu.* III. *Leibnitius Sy ma Matheſeos Reyherum poſcit.* IV. *Lumina quom conciliand a?* V. *De arcu triumphali vitam princi compendio exhibente.*

Hodie mane ad Celeberrimum BLANCH NVM literas dedi, eique Catalogum M nuſcriptorum Gudianorum, vt iuſſeras, tran miſi, eademque occaſione quaeſiui, quo nu loco eſſent de calendario meditationes? Eg vereor, ne aulae Romanae circulos valde tu barint iam nuntii ex Hiſpania Belgioque a uentantes.

II. Mutato penitus pene in momento, E rop

ropae statui diuinum aliquid subest, de quo dubitanti merito aliquis dicat illud Virgilianum. *Non vires alias, conuersaque Numina sentis?* Atque illud etiam Claudianeum, etsi paulo audacius: *Absoluitque Deos.* Nam successus iniustorum destinatorum dubitare de diuina prouidentia facit eos, qui non satis introspiciunt interiora rerum.

III. Caeterum ego, vir Amplissime, magna semper voluptate, atque etiam cum fructu lego, quicquid a Te proficiscitur. Multas itaque pro nupero munere gratias ago. Vellem vacaret Tibi dare nobis aliquando systema matheseos, vel, si ita videretur, alienum aliquod augere atque prouehere. Venere aliquando in manus meas Icones compendii Mathematici, quas aeri incisas reliquit Theologus et Polyhistor Io. Valentinvs Andreae, quibus manu sua notas accessionesque adiecit insignis Mathematicus Wilhelmvs Schickardvs. Sed fatendum est, pleraque esse, vt sic dicam, obsoleta, quum scientiae Mathematicae a quinquaginta plus minusue annis mirifice creuerint. Stvrmii Mathesis iuuenilis non spernendum est compendium plerarumque partium Mathematicae doctrinae, sed plurima tamen desunt. Integra abest Musica, Graphica imperfecta est valde, Mechanica quoque ieiunior videtur, quae ad Nauticen pertinent non attinguntur. Optandum ergo esset, vel suppleri opus non inutile, vel plenius aliquid dari, quod a Te vir egregie et imprimis fieri posset.

IV. Monuisti aliquid nuper de luminib
cubiculo conciliandis figura vitrorum: An a
quod eius rei experimentum cepisti? Vere
vt Tuae literae Dn. CVNAEO, Consiliario R
gis Borussiae, in tempore fuerint redditae, na
ille aliquamdiu domo absfuit, et apud Cass
lanos egit, negotia quaedam ex obitu Fili
Regiae nata procurans. An reuersus sit ha
equidem satis scio. Frontispicium operis i
storum funebrium Serenissimo Electori Bru
suicensi primo paratum continet Arcum T
umphalem, qui pene totam insignis Princip
vitam variis figuris luculenter exhibet. S
nondum absolutum est opus, aut prostat, m
tamen habebitur. Non dubito, quin placit
rum sit, quod simili cultu Regi Borussoru
destinas. Quod superest, vale ac faue. Da
Hanou. 4. Iunii 1706.

P. S. Dominum Filium Summi viri MAR
QVARDI GVDII a me resalutari peto peroff
ciose. Non satis mirari possum Regem D
niae, aut Ducatus Holsatiae Administratore
pati, vt hic thesaurus dissipetur.

EPISTOLA CXXXVII.

I. *De Reyheri dissert. de Clementina periodo Blanchino o posita.* II. *De Msc. Gudianis.*

I. Quidquid a Te venit mihi pretiosum e
Interim nescio an consultum sit noui
sima Tua de Clementina periodo mittere a
BLANCHINVM, cui forte in re, quam non
dum publice apparere voluit, se publice ref
tatum nollet.

II. Ex

II. Exemplaria Catalogi Manuſcriptorum Gudianorum in Italiam et Galliam miſi: fortaſſe non ſine fructu, doleo diſpergi et vellem a Magno Principe redimi. Sed hoc aulae curant ſcilicet. Delibero excurrere Hamburgum adhuc ante venditionis initium. Quod ſi ergo, Te intercedente, Dominus mihi faueat, vt curioſus inſpector eſſe poſſim tanti theſauri, antequam nobis euaneſcat in carbones, non mediocre id beneficium putarem, conarerque oblata occaſione demereri. Vale faueque. Dabam Hanouerae 26. Iul. 1706.

EPISTOLA CXXXVIII.

De Matheſi Biblica.

Matheſeos Biblicae Tuae egregium opus auide expecto. Poteras fortaſſe et quaeſtionem de motu Terrae attingere, quem quidem fruſtra ex Scriptura refutare, alii ex ea adſtruere contendunt. Chronologia etiam fortaſſe Biblica curam Tuam merebatur, non minus quam ratio annorum, menſium, intercalationum. De Templo Salomonis amplum opus molitur amicus ex Pariſino Oratorio, vir doctus, cuius extant Algebrae, Geometriae et Perſpectiuae Elementa Gallico ſermone conſcripta. Etiam doctrina de ponderibus, menſuris et monetis biblicis Tuae iurisdictionis foret. Gaudeo, quod Clementinae periodi conſenſum cum Tua vel Tidiana agnoſcis. Diu eſt, quod negotium hoc ſilet, idque ex Blan-

CHINI silentio colligo. Quod superest, vale faue. Dabam Hannouerae 1. Octobr. 1706.

P. S. Vt multas praeclaras obseruation quas Te habere non dubito, vel miscellane rum forma edas, hortor.

EPISTOLA CXXXIX.

I. *De Reyberi cum Blanchino controuersia.* II. *De emen tione Calendarii.*

I. Quod subinde mihi praeclara Tua op scula mittis, multas debeo gratias. Ga deo etiam quod Blanchinianis meditationibı nunc magis es contentus, quam initio esse v debare. Diu est, quod ab eo nihil intellex Vereor ingratum ipsi fuerit, quod de medit tionibus eius nondum satis maturis aut co stitutis aliquid in publicum venit.

II. Quoniam constat quae Corporis Euang lici nomine in emendatione Calendarii Rati bonae sunt conclusa, nonnihil adhuc dete minandum reliquisse, ea de re iudicium Tuu intelligere velim. Quod superest vale, et prae clare de republica mereri perge. Dab. Hano 27. Ian. 1707.

EPISTOLA CXL.

I. *De antiquo de beneficiis scriptore.* II. *De scriptis Re beri iunctim edendis.* III. *Leibnitius Buschii Msc.* reformatione monasteriorum desiderat.*

I. Vti omnia Tua magni facio, ita pro nupe ris transmissis multas gratias ago. Pra clare pergis in enarrandis doctis istis. Docu

f

ſti me, vbi nunc lateat ANTONIVS de PRATO VETERI MAVRITIANVS. Puto Tibi nondum viſum auctorem de beneficiis, Feudorum Longobardicorum compilatione antiquiorem, quem nuper ab EIBENIO veſtro, (*) imo noſtro, inſigni viro, acceptum edidit CHRISTIANVS THOMASIVS notisque doctis illuſtrauit. FREHERVS olim eumdem promiſerat, ſed bene eſt, quod tandem prodiit, etſi non multa nos doceat.

II. Vtinam Tuas diſſertationes omnes collectas edi curares. Quid agit Matheſis Moſaica? Obſeruationes ſtellae in Balaena communicari petierim.

III. Audeo adhuc aliquid hac occaſione a Te petere. Celeberrimo viro SEBASTIANO KORTHOLTO veſtro nuper ſcripſi, rogauique, vt permiſſu eorum, ad quos res pertinent, mihi BVSCHII cuiusdam, qui tempore Concilii Baſileenſis floruit Manuſcriptum de Reformatione Monaſteriorum mitteret, quod in Bibliotheca veſtra Academica extare intellexi. (**) Ea in re rogo, vt, ſi opus eſt, ei ſis adiutor. Et quod ſupereſt vale et faue. Dabam Hanou. 6. Auguſti 1709.

(*) Illuſtris EYBENIVS primum fuit Conſiliarius ſtatus Ducis Sleſuici et Holſatiae, deinceps Epiſcopi Oſnabrugenſis primarius aulae miniſter et conſilii intimi ſocius euaſit.

(**) Conf. LEIBNITII epiſtola CLXXIX. ad Parentem meum data.

EPISTOLA CXLI.

I. De Reyberi Historia Iuris. II. Leibnitius Reybero auct est, vt obseruationes quasdam Berolinensibus miscellaneis interserendas mittat.

I. Quoties aliquid a Te venit, toties laetor tum quod Te valere, tum quod me meminisse videam. Gratias ago pro egregia de Iuris historia dissertatione, quae multa me docet.

II. Vtinam quas habes complures non tantum collectiones, sed et obseruationes atque etiam inuentiones, ne perire patiare, sed vel per saturam in publicum emittas. Obseruationibus publicandis offero Berolinensia Miscellanea, quorum ex missis ad societatem Regiam schedis iam sub prelo est specimen. Si pateris inseri curabo indiculum mutationum caloris frigorisque a 30. annis ex obseruationibus Tuis sumtum, qui editus mihi a Domino KORTHOLTO v. cl. transmissus est, (*) quod si aliquas Astronomicas obseruationes vel meditationes selectas dare velis, his quoque vti gaudebimus. Memini aliquando Te spem facere meditationum ad longitudines aliquando definiendas profuturarum, quod de his extare velis in Tua manu est. Si quid etiam in re architectonica, mechanica, aut aliis Matheseos partibus in publicos vsus suggerere placeat, quod non amplo schediasmate complecti libeat, erit in rem nostram. Quod superest vale diu et nobis faue. Dabam Hanou. 25. Octobr. 1709.

(*) Ob-

(*) Obſeruationes tricennales circa frigus hyemale ex Ephemeridibus SAMVELIS REYHERI Miſcellaneis Berolinenſibus p. 379. inſertae ſunt.

EPISTOLA CXLII.

Veterum Iure conſultorum lacinias qui collegerint?

Adhuc promiſſa continuatione doctiſſimi de Iure operis, et ad hiſtoriam eius noſcendam vtiliſſimi, aliisque gratias agere debeo, et vt par eſt ago, ſimul Deum anno nouo inito precatus, vt Te nobis ad multos annos ſeruet publico bono. Quaerere lubet, an praeter eos, quos IACOBVS GODOFREDVS in manualis parte, quae Bibliotheca Iuris romani appellatur Cap. 2. recenſet, alii extent, qui veterum ICtorum lacinias per digeſta Iuſtiniani diſperſas, recollegere et verbatim extribuere? Mihi occurrit ex recentioribus ALTESERRA, qui TRIPHONINI libros diſputationum Iuris in recitationibus ſuis, vt licuit, recenſuit. Quod ſupereſt vale et faue. Dabam Hanouerae 24. Ianuar. 1710.

EPISTOLA CXLIII.

I. *De indice inuentorum Reyheri.* II. *De Schelhammeri inſtitution. medicis.* III. *De Ramazzini de barometris ſententia.*

I. Grata recordatione nuperum congreſſum noſtrum recolo, et gaudeo cogitare Te, vt innuis, de indice inuentorum Tuorum meditationumque ſingularium edendo, cui velim accedere breuiculas explicationes, ne prae-

clara

clara cogitata intercidant. WAGNERVS no:
vir egregius et humanitatem et vbertatem
expromendis pulcherrimis obſeruatis tuam r
re laudat. Id Tibi pro ſtimulo eſſe debet,
de publico bene porro mereri non intermitt
Quod ſupereſt vale faueque. Dabam Guel:
byti.

II. P.S. Hortare quaeſo eximium medicu
veſtrum et Collegam Tuum Dn. SCHELHAM
MERVM, ne differat dare nobis quas mc
litur inſtitutiones rei medicae, quas certe ex
tinctis CONRINGIO, MEIBOMIOque, nem
temere pleniores ſolidioresque proferet.

III. Celeberrimus RAMAZZINVS mihi miſit libellum recens editum, in quo Amoebaea SCHELHAMMERIANA et ſua de barometris complexus eſt. Is poſtremo nouiſſimis curis ſententiam ipſe ſuam candide retractans, meam amplectitur, quae huc redit: Aerem pluuioſum leuiorem eſſe, quia guttulae cadere incipientes, non amplius a columna aeris ſuſtentantur. Experimentum mechanicum (in priuatis ad eum literis) attuleram, corporis, quod dum in aqua natat, ponderat in bilance, dum in ea cadit non ponderat. Id vbi ſumſit, et aliquot repetitionibus verum deprehendit, iam in mea conceſſit caſtra. (*)

(*) Conf. quae ad LEIBNITII Epiſtolam CXXVI. ad SCHELHAMMERVM data ſupra annotaui.

EPIST.

EPISTOLA CXLIV.

De descriptione palatii methematici pro sereniss. Electoratus Brunsuicensis haerede.

Forte inter schedas reperio inuolucrum a Te, cui inscripseras bina Te moliri: descriptionem palatii mathematici pro serenissimo Electoratus Brunsuicensis haerede, et cum adiuncta septem artium liberalium delineatione; tum et indicem Tuorum inuentorum; dubito, an hoc inter respondendum satis attigerim, itaque nouis literis significo, plurimum Tibi debituram Rempublicam, si haec perficias. Filius Principis Electoralis nostri, etsi infans nuperrime, non tantum nunc expedite fatur, sed et paulatim per figuras ad aliquam rerum cognitionem ducitur. Huic aliquando prodesse poterunt egregia molimina Tua. Itaque Deum precor, vt Te diu nobis conseruet ad coepta absoluenda. Dn. D. WAGNERVS Helmstadiensis in literis ad me suis mirifice et humanitatem Tuam, et doctrinae vbertatem laudat. Sed hoc, ni fallor, nuper scripsi. Vale faueque. Dabam Hanou. 30. Octob. 1710.

EPISTOLA CXLV.

I. De Reyheri historia iuris. II. Catena fortificatoria & III. de dirigendis Principis studiis.

I. Mire gaudeo, quoties Te valere et mei meminisse intelligo. Itaque multas ago gratias pro integro opere sane insigni Historiae Iuris varii. Excitabit ea res iuniores, vt talia

P prae-

praesertim circa gentium leges minutatim
quantur. Sed dum Iurisprudentiam ita or
nolim alterius Spartae Tuae obliuiscare. Sp
mihi, vel potius nobis, indicis inuento
Tuorum fecisti. Eum, vt matures, peto; in
manu est, an non nihil de inuentorum rati
in Tuis mihi destinatis adiicere velis?

II. Interea vnum abs Te peto, quam prim
vt mihi instrumentum Tuum fortificatori
(Catenam, ni fallor, a partium mobilitate ap
labas) confici cures. Rogaui Dn. KORTH
TVM, cum quo interdum rationes habui,
qui in redimendis Manuscriptis Gudianis
uit, vt sumtum qualemcunque pro me fa
re velit, obtinendae illi Tuae catenae fort
catoriae necessarium.

III. Princeps noster puellus nondum stu
maturus est. Sed vbi tamen nonnihil adole
rit & studiorum praesidem acceperit, de
iam cogitatur, faxo, vt ad consilia Tua rec
ratur, expetanturque inuenta puero Princ
erudiendo destinata. Nam nunc intempest
frustra iudicaui. Quod superest, vale et fa
Dabam Hanou. 11. Sept. 1711.

P. S. In annum sequentem nostro Princ
puero studiorum initia destinant. Itaque qu
so, vt consilia conferas. Hoc equidem n
dum iussus, sed de meo a Te peto. Spero
men futurum, vt grataner audiantur cons
Tua, vbi in rem veniemus. Et catena illa n
nitionalis, quae in oculos omnium elegan
simplicitateque sua incurret, mihi materi
Tui, ut par est, praedicandi dabit. Opt
om

omnes Tuas diſſertationes vno vel altero volumine collectas proſtare, ego pauciſſimas anteriorum habeo. Facit illa de aquis, pro qua gratias ago, vt caetera etiam Elementa ſimiliter tractata videre geſtiam.

EPISTOLA CXLVI.

De quibusdam Reyheri ſcriptis et inuentis.

Quicquid a Te proficiſcitur mihi plurimum ſatisfacit. Argumentum aquaeductuum inſigne in Iure pariter & Matheſi. Ne quaeſo catalogi inuentorum obliviſcere. De catena etiam fortificatoria aurem vellico. Gratulor conſiliari honorem, optoque, vt adhuc diu fruaris. Vale et faue. Dabam Hanou. 3. Dec. 1711.

EPISTOLA CXLVII.

De indice inuentorum Reyherianorum eiusque catena fortificatoria.

Multas Tibi debeo gratias, tum pro catena Tua Poliorceutica, tum vero maxime pro catalogo inſignium inuentorum. In quo multa ſunt optimae frugis. Optem, edi cum explicationibus adiectis, interimque & has, vbi videbitur Tibi, aut in quantum videbitur, ad me peruenire poſſe. De aëre praeclarus eſt labor Tuus, (*) eritque etiam haud dubie de igne. Optem, diſſertationes a Te olim editas uno faſciculo comprehendi. Vellem noſſe an alicubi catenae Tuae vſum rationesque explicaris? Plura de inuentis Tuis alias ſcribam.

Nunc vale et faue. Dabam Honou. 21. M
1712.

(*) REYHERI dissertatio, de Aere, Kilonii 1670. prodiit,
Iournal de Scavans T. VI. p. 400. Eadem multis acc
nibus aucta Kilonii 1712. recusa est.

EPISTOLA CXLVIII.

I. *De Reyheri dissertatione de aere atque aliis eius scri* II. *De ordinatione ad Academiam Holsaticam p nente.*

I. Dissertationis Tuae elegantissimae, de A re, continuationem accepi, et multas Tuis omnibus, quae misisti, hactenus gratias go. Opto, vt catalogum inuentionum Tuar vel publice, vel saltem in priuatis ad me lite expositione illustrare velis, & iusto aliquan libello tradere immortalitati. Ita enim delici mathematicae magis magisque augebunt Quod superest, diu vale et faue. Dabam H nou. 24. Iunii 1712.

II. P. S. Si bene memini, vidi aliquando c dinationem (*) aliquam satis elegantem reru ad vestram Academiam pertinentem, nescio ir pressam an manuscriptam? Hanc beneficio T obtinere velim.

(*) Respicit ad Rescriptum, cuius index: *Des Durchlauc Fürsten und Herrn, Herrn Friederichs &c. Gnädigstes* R script *an Dero Universität Kiel vom 17. Febr. an. 1701.* *Aufnahme der* Studien *um der Academien besseren Flor* *treffend.*

EPISTC

EPISTOLA CXLIX.

De indice inuentorum Reyheri.

Quod indiculum Tuorum inuentorum, quod libellum de auctoribus Iuris scriptoribusque, quod dissertationem de Aere recusam, et acta praeclare omnia mecum communicasti, et egi gratias et porro ago habeoque. Nunc peto, vt illum indiculum inuentionum vtilissimarum vberius explicare velis, in vsum vel publicum, vel certe amicorum. Ego sane, qui Tuis omnibus delector, et imprimis capior meditationibus non vulgaribus, multum eo nomine Tibi debeo. Nescio vnde habui Tibi Consiliarii honorem a Sereniss. Duce Gothano, Patriae Tuae Principe, collatum, quam ob rem gratulor ex animo, et Deum precor, vt diu adhuc et illi et nobis prosis. Quod superest, vale faueque. Dab. Hanou. 18. Octob. 1712.

EXCERPTA EX EPISTOLA
FRIDERICI KOSII,

Mathematum in Acad. Kiloniensi Professoris celeberrimi, Kilon. d. 28. Martii 1733 ad me data, quae ad illustrandas LEIBNITII et ad OLAVM ROEMERVM et ad SAMVELEM REYHERVM datas epistolas egregie faciunt.

Quum occupatum Te esse videam in edendis LEIBNITII epistolis: opto, vt et labor

hic, et omnia huiusmodi coepta Tua felic
ſuccedant. Luſtraui interim, qua potui, c
gentia, quae in ſcheda, literis Tuis incluſa,
deſcenſu Mercurii in baroſcopio eiusque ca
accepi. Nihil in illis mihi videtur omiſſum, qu
hac in re ad hiſtoriam literariam pertinere p
ſit. Ego vero omitterem illud, quod inibi
ſeritur, LEIBNITIVM problema propoſit
feliciter ſoluiſſe: praeſertim quum non o
ſit aliquid hic decernere. Reliqua omnia
cte ſe habent meo iudicio, vt nihil in illis
prehendi aut deſiderari queat.

De REYHERI noſtri inuentis, de quibus c
tior fieri cupis, in praeſentia haec accipe. Pr
ter obſeruationes quasdam ſingulares mi
ris momenti, inuenit noſter in Architect
militari nouam muniendi rationem; in Ch
nologia Periodum quandam Intercalarem;
Arithmetica bacillos ad calculum ſexagenal
adhibuit; in Geographia methodum deter
nandi longitudines locorum excogitauit. I
mus etiam, et longe ante CHRISTIAN
WOLFIVM, ſcientiam aeris coepit conde
quamuis in proponendo non, vt ille, meth
do mathematica vſus fuerit. Caeterum int
polauit quoque nonnulla in Mechanicis:
pauca in Opticis noua vel molitus eſt, vel
perit. Quae ſingula plenius ipſe expoſuit t
paſſim in ſua Matheſi Moſaica, tum data o
ra in diſſertationibus, quas habuit de Perp
diculo, de Lentibus, de Obſeruationibus Aſt
nomicis, de Periodo Clementina, de Munit
nibus, de Bacillis Sexagenalibus, de Aquis,

A

Aere aliisque. Reliquit insuper obseruationes meteorologicas multorum annorum, quarum pars quaedam prodiit in Miscellan. Berolinens. tom. I. p. 379. Non memini, me audire quicquam de pallatio eius mathematico, quod mihi commemoras. Memini vero illum queri interdum, se perficere non posse multa, quae coeperit; quod subsidiis necessariis destitueretur. Quare, qui viri optimi memoriam colit famaeque studet, non tam qualiacunque eius inuenta, quam strenuos conatus multum extollet.

Maius omnino incrementum Mathesi et Physicae attulit Olavs Roemervs: quippe qui non semper in loco obscuro haesit, sed diu versatus est Lutetiae, quum illic literarum studia maxime feruerent; quamquam inde reuocatus Hafniam adeo obtorpuit, vt ne scripta quidem sua iam exasciata in lucem edere pararit. Inter inuenta illius, quae nusquam coniunctim, quod sciam, sed sigillatim tantum hinc inde recensentur, haud postremum est illud, quod lucis radios sensim et successiue, nec vt ante persuasum fuerat omnibus, subito et uno momento propagari atque transmitti demonstrauit: qua de re vid. Fontenellii Hist. Acad. Scient. anni 1707. p. 99. edit. Amstelod. Idem concinnauit machinas quasdam Astronomicas, plane nouas, easque non minus vtiles, quam artificiosas, de quibus videatur Hamelii Histor. Acad. Scient. p. 200. et 210. edit. Lips. 1700. Quid porro excogitarit ad corrigendas perficiendasque machinarum rotas, indicatur

in Miscellan. Berolinens. tom. I. p. 315. P
de illo in libro gallico, qui inscribitur: di
ouurages de mathematique et de physiqu
Mrs. de l'Academie Royale des sciences, it
que in Actis Eruditor. Lipsi. si peruoluas hor
indices et in iis ROEMERI nomen quaeras. e

EPISTOLA CL.

AD

IO. GEORGIVM LIEB-KNECHTVM,

S. Theolog. D. eiusdemque et Mathemat. in
cad. Giessensi Profess. ordin. Consistorialem
et Distrid. Marpurgo-Darmst.
Superintendentem.

De frusto ligni petrificati.

Gratias debeo multas, quod elegantem fr sti ligni petrificati imo ferrificati deline tionem ad me misisti, et grata erunt, quae pl ra in eam rem fauori Tuo sequentur. Si co ferent operam diuersarum regionum viri do et curiosi, superficies globi nostri paullo m lius noscetur. Doleo intercidisse, quae in ea rem meditatus erat STENONIVS, quoru specimen libello de solido intra solidum ded Nescio, an videris meditationem meam, Prot gaea inscriptam, quae aliquando Actis Eruc torum inserta fuit. (*) Suspicatus sum, pri

ig

igni quam aquae obnoxium fuisse nostrum globum, et in ipsis primordiis aqua immersum fuisse, tunc, quum Spiritus Domini ferebatur super aquas. Caeterum serius induruit truncus ille, quem memoras et succi metallo pleni corpus eius penetrarunt. Quod superest, vale et fave. Dabam Hanou. d. 30. Ianuar. 1711.

(*) LEIBNITII specimen Protogaeae in Actis Eruditorum 1693. deprehendas.

EISTOLA CLI.

De ligno crucis.

Simul gratias et excusationem debeo, quod non prius eas egi. Digna sunt inquisitione et examine, quae transmisisti. Ad genus ligni fossilis huiusmodi illud refero, quod S. crucis quidam vocant, et quod candescit in igne non comburitur. Cuius meminit MONCONISIVS in itinerario, & quale ante annos aliquot in aula gallica pro miraculo fuerat apud foeminas quasdam magnae auctoritatis, sed superstitiosiores. Si quid hoc de argumento pro more Tuo, id est, vtiliter, commentabere, et nobis mittes, libenter inseremus Miscellaneis nostris Berolinensibus. Quod superest, vale et faue. Dabam Hanou. 9. Decemb. 1711.

EPISTOLA CLII.

I. *De Phosphoris mercurialibus.* II. *De motu planetario.* III. *De Bracteatis Hassiacis.* IV. *Geographia medii aeui.* V. *Chronico MSc. Lüneburgico.* VI. *Hertii scriptis.* VII. *Liebknechti specimine pyrometrico.*

I. Gaudeo, Te mei beneuole meminisse e cursu bene coepto promouendae s dae eruditionis pergere. Pro praeclaris tra missis gratias ago. Phosphori mercuriales coli discutique merentur. GERIKIVS, ni lor, iam in Barometro lucem obseruauit, vt i attigit in opere de vacuo. Quidam Gallus, nomen, ni fallor, NIGVET tunc statim, qu Dominus BERNOVLLIVS certam Phosph Mercurialis parandi rationem ostendisset, p fessus est, posse se Mercurii lucem nulla li accedente aeris exhaustione exhibere. Fuit le paullo post in Germania, et apud me inui sed ex eo nil amplius de eo mihi compertu FRANC. HAVKSBEIVS, Anglus, nonnihil p mouit Phosphorum recipientis exhausti, eti sine Mercurio, quemadmodum intelliges scheda adiecta, vbi excerpta leges ex catalc experimentorum eius, et MOSCHENBROK qui Hauksbeianum experimentum imitatur.

II. Propositiones Tuae circa motus plane rios videntur habere aliquid profundi. Nc velim, an ex Newtonianis hypothesibus vn deduxeris, an alia adhibueris fundamenta.

Ego, etsi concedam cum RVBERVALLII A starcho, magna mundi corpora nostri systen tis gravitare in se inuicem, tamen corpora mnia grauitare in se inuicem esse corporit essentialem minime admitto, et talem attract nem vel in miraculum vel in qualitatem cultam scholasticam recidere iudico. Diss tatio Tua, circa hoc argumentum non sp nendum, erit ornamentum Tomi secundi M

sc

ſcellaneorum Berolinenſium, cui offers, et Tua in ſocietatem regiam receptio mihi curae erit. Vellem, omnes recepti aeque dignis publico ſpeciminibus innotuiſſent. (*)

III. Diſſertatio Tua de Bracteatis Haſſiacis mihi perutilis videtur, vnde intelligitur etiam Clar. LVDEWIGIVM ICtum Halenſem paullo promptius aequo bracteatos prouinciis Rheno vicinioribus negaſſe.

IV. Praeclare etiam Geographiam hiſtoricam Phyſicae Geographiae a Te coniungi video. Mediam Germaniae vtiliſſime illuſtrabis tabulis tentatis, quibus pagi antiqui et gowae, qua licet, diſcernantur. Ex mea, de origine Francorum diſſertatiuncula, ſi ad Vos peruenerit, notaueris, pagum Salagene, cuius mentio in praefatione legis Salicae, ad Salam Franconicam ſitum fuiſſe, et Fuldenſis ditionis partem occupaſſe, et Haſſiae vicinum fuiſſe.

V. De Chronico MSc. dialecto inferioris Saxoniae exarato, quod Lüneburgicum eſſe ſuſpicio eſt, plura quaeſo edoce, vnde inchoet, vbi finiatur, quibus verbis inchoet, quibus finiatur, quae potiſſimum tractet?

VI. Optem, non perire praeclaros Cancellarii veſtri HERTII labores complures nondum in publicum miſſos. Sane catalogum editorum & edendorum nanciſci velim.

VII. Pene oblitus eram elegantis Tui ſpeciminis pyrometrici, (**) quod ſcripſiſſe videris, quum nondum Gallicus liber, inſcriptus, Mechanica ignis, in manus Tuas veniſſet. Videris Tua diſſertatione fundamenta theoretica

pra-

praxium pyrometicarum iacere voluisse, quibus vtile erit, vt aliquando noua dissertatione πραγματικώτερα subiungas. Nam praeter et ante gallica illa etiam Dominus Abbas SCHMIDIVS Helmstadii rationem cereuisiae coquendae vtiliorem vulgari proposuit. Et audio illustrem comitem Solmensem Braunfelsensem vobis vtique vicinum, nuper Gothanos nouam coctionis eiusdem rationem docuisse, quam nonnulli cum fructu sequuntur. Quod superest, vale et faue. Dabam Honouerae 9. Sept. 1716.

EX CATALOGO INSTRVMENTORVM IO. VAN MOSSCHENBROEK

Machina cuprea firma ab vtraque parte transparens, ad experimenta omnia, quae cum Antliis fiunt, in condensato aere tentanda.

Machina, quae Antliae applicata plantarum valuulas demonstrandi inseruit.

Machina pro conficiendo Phosphoro Mercurii.

Duo vasa vitrea ad pluuiam mercurialem et igneam faciendam in vacuo.

Experimentum Hauksbeianum, siue sphaera vitrea, quae aere vacua et ope rotae mota attactu digiti lucem viuidissimam praebet cum omni apparatu.

Machina ad duo corpora velocissime contra se recipiente vacuo atterenda, vt inde orta lux lucisque differentia pro varietate corporum conspiciatur.

Pho

Phosphorus Mercurii seu vasculum vitreum Mercurio lucido impletum.

Phosphorus philosophicus ex vrina confectus.

EX SCHEDA INSCRIPTA:

Account of Hydrostatical et Pneumatical Experiments of MS. HAVKSBEE, de quibus peculiarem libellum Londini edidit.

Seueral new and surprizings Experiments, in relation to the production of Light, upon the Attrition of Glass Bodies. viz That upon the Attrition of a Glass Globe exhausted of its Air, a Light so considerable will be produc'd, that words in Capital lettres mays be read by it: with other various phaenomena exhibited upon letting in the Air. That when the Globe is replete with Air, it is very curious to see, that upon the Attrition of it, a Light will be communicated to Bodies at two or three inches distance from it.

(*) Celeb. LIEBKNECHTVS in litteris ad parentis mei fratrem MATTHIAM NICOLAVM KORTHOLTVM Eloquent. et Poeseos in Acad. Giesensi Professorem, iam pie defunctum, datis, commemorat, se, litteris hisce LEIBNITII acceptis, dissertationem suam *de planetis primariis et secundariis* cum LEIBNITIO eo consilio communicasse, vt eam Tomo II. Miscellaneorum Berolinensium inserat. Sed quum LEIBNITIVS non ita multo post diem suum obierit, sibi ne quidem constare, vtrum haec dissertatio ad manus LEIBNITII peruenerit, et quaenam illius fuerint fata? Ibidem tamen commemorat, se in dissertatione sua *de harmonia corporum mundanorum*, quae prae ceteris notatu digna in dissertatione de planetis tradiderat, exposuisse.

(**) LIEB-

(**) LIEBKNECHTI Pyrometria siue ignis mensurandi nouum ac generale specimen Gissae 1714. prodiit.

EPISTOLA CLIII.

AD

CHRISTIANVM GOLDBACHIVM,

S. Caes. Maiest. Russicae a Consiliis iustitiae.

I. *Cur globus grauis in aere cum terra quodammodo rotetur disquiritur.* II. *De Hanschii consilio edendorum Keplerianorum.*

I. Ignosces, quod in describendo non possum esse promtissimus. Ad Tuam ratiocinationem habeo quod admoneam. Causa, cur globus grauis in aere cum terra quodammodo rotetur, atque ita, ex turri demissus, ad turris, vt sic dicam, pedem cadat, perinde ac si turris cum terra quieuisset, non in eo solo sita est, quod graue illud cum aere et tellure vnum quoddam mobile constituit, et ab aëre cum tellure moto abripitur; ita enim grave in vacuo Gerikiano cadens, non recta descendere videretur, quia in eo abripiens aer fere cessat: sed ex eo, quod globus siue ex turri demissus, siue tormento excussus, antequam in liberum aerem venisset, impetum telluris, quo nempe ipsi mouetur, iam acceperat. Et hoc etiam confirmatur GASSENDI experimentis in diss. de Motu impresso a motore translato relatis. I enim expertus est in triremi per remiges velocissime impulsa, lapidem ex summo malo de mis

missum recta ad pedem mali cadere, perinde ac si triremis quieuisset. Quod non potest ascribi aeri super triremem incumbenti, cui vtique tanta velocitas a triremi non imprimeretur, ut perfecte eius motum sequatur, (ne quid de vento forte aduerso dicant) neque tanta foret illa aeris de triremi recepta velocitas, vt lapidem sufficienter abripere secum possit, quod ne ventus quidem vehemens faceret. Itaque vides neque a CVFFELERO, scriptore non admodum profundi iudicii, neque a multis aliis rem satis recte fuisse explicatam.

II. Inprimis Dn. D. HANSCHIVM a me salutari peto, si adest, cuius consilium edendorum Keplerianorum valde laudo. Quum nuper Torgavia veniens Lipsiam transirem, abesse dicebatur. Vale. Dabam Hanouerae 12. Ianuar. 1712.

EPISTOLA CLIV.

I. *Quem impetum lapis e malo deiectus sequitur?* II. *Radii lucis perfectas lineas rectas non constituunt.* III. *Quibus musicis proportionibus homines delectantur?* IV. *Vnde oritur ex musica voluptas?* V. *Quando rationes surdae in Musica commode locum inueniunt?*

I. Certum est, quod tam globus tormento eiectus, quam lapis ex malo demissus impetum loci, ex quo exiere, (quippe iam impressum antequam exirent) sequantur, nec rationem consensus ab aere esse petendam, qui potius, si diuerso feratur motu, turbare aliquando nonnihil potest, vt in naui.

II. EIMMARTVS haud considerauit radios lucis,

lucis, ob inaequalem aëris densitatem, adeo mutatum multimode medium refringens, i perfectas constituere lineas rectas, et line radii mutari, mutata notabiliter aëris consti tione, idque maxime sensibile est in refract nibus horizontalibus, quae in experimento i us occurrunt.

III. Non impossibile est, esse alicubi anin lia, quae plus quam nos Musicae sensibilita habeant, et delectentur Musicis proportionib quibus nos minus afficimur. Sed putem, n iorem sensuum nostrorum subtilitatem ma nobis nocituram, quam profuturam, multa nim visu, olfactu, tactu, ingrata sensuri ess mus; et qui nimis subtilis sensus sunt in M sica, offenduntur quibusdam oberrationib practicorum in organorum constructione no bene euitabilibus, quibus tamen auditoriu offendi non solet. Nos in Musica non num ramus vltra quinque, similes illis populis, qu etiam in Arithmetica non vltra ternarium pro grediebantur, et in quibus phrasis Germanc rum de homine simplice locum haberet: *E kan nicht über drey zehlen.* Nam nostra inte ualla vsitata omnia sunt rationum composita rum ex rationibus inter binos ex numeris pr mitiuis, 1, 2, 3, 5. Si paulo plus nobis subti litatis daretur, possemus procedere ad nume rum primitiuum 7. Et tales reapse dari puto Itaque nec numerum 7. veteres refugieban plane. Sed vix erunt, qui procedant vsque ad proximos primitiuos 11. et 13.

IV. Rationem autem consonantiae petendan

puto

puto ex congruentia ictuum. Musica est exercitium arithmeticae occultum nescientis se numerare animi. Multa enim facit in perceptionibus confusis seu insensibilibus, quae distincta apperceptione notare nequit. Errant enim, qui nihil in anima fieri putant, cuius ipsa non scit conscia. Anima igitur etsi se numerare non sentiat, sentit tamen huius numerationis insensibilis effectum, seu voluptatem in consonantiis, molestiam in dissonantiis, inde resultantem. Ex multis enim congruentiis insensibilibus oritur voluptas. Vulgo vero male rem computant, qui eas tantum operationes animae tribuunt, quarum conscia est. Vnde multi non tantum anterioribus philosophis, sed etiam Cartesianis ipsis aliisque recentioribus, velut LOCKIO et BAYLIO errores nati sunt. Sed, vt ad rem redeamus, in octaua secundus ex alternis ictus vnius ictuum series congruit cuiuis ictui alterius seriei. In quinta tertius quisque vnius seriei et secundus alterius consentiunt. Polygona circuli corpora regularia et alia huiusmodi licet ab acutissimo KEPLERO adhibita ἀπροσδιόνυσα sunt, cum ad Arithmeticam numerorum rationalium non pertineant.

V. Rationes surdas non puto per se placere animae, nisi quando parum distant a rationalibus, quae placent: per accidens tamen dissonantiae interdum placent, et vtiliter adhibentur, et suauitatibus vt vmbrae ordini et luci interponuntur, vt ordine postea tanto magis delectemur. Amicus Tuus, cuius schedam me-

cum communicasti, et qui monochordum v
secare in extrema et media ratione depreh
det reuera interualla, quae ita prodeunt ad s
sum fere coincidere cum sexta maiore et i
nore, seu si sit AB ad BC, vt BC ad C
fore propemodum AB, BC, CA
8, 5, 3,
sexta minor sexta maior
Sunt enim sic satis propinqua, vt 809. 5
309. ponendo $r5$ esse 2. 236. vel 2. 236.
100
et exacte omnino vt $r5+1$, 2, $r5-1$. est aute
$r5$ vtique irrationalis paulo maior quam 2. 2
sed error est minor quam $\frac{1}{1000}$ $\overline{A\ C\ B}$.

Itaque si quid illa sectio habet grati, mutu
bitur ab his interuallis vicinis. Dabam H
nou. 17. April. 1712.

P. S. Dn. Fritschius Theodicaeam meam ge
manice verti vellet. Ego putem in hanc re
opus fore interprete, qui non tantum stilo n
strate valeat, sed et argumento, et meditatio
delectetur, vt satis in rei interiora penetra
possit.

EPISTOLA CLV.

I. *De temperamento musico.* II. *De motu planetario ad ca sas physicas reuocato.* III. *De Experimento Ramaz ni felici cum successu instituendo.*

I. De temperamento Musico in operibus er
ditorum olim a Banagio editis inu
ni

nies epiſtolam ſummi viri CHRISTIANI HVGENII, quo pro more ſuo accuratiſſime rem examinauit, et commodiſſimam fortaſſe rationem adhibuit. Quamquam, vt verum fatear, pauciſſimi auditores minutiis illis afficiantur, & plerisque ſufficiat, diuiſio illa octavae in duodecim partes aequales quam, ARISTOXENO tribuunt.

II. Quomodo motus planetarii a KEPLERO inuentae per obſeruationem leges ad cauſas phyſicas reuocari poſſint, ſuppoſitis motibus duobus, vno grauitatis altero circulationis harmonicae, in Actis Eruditorum a me oſtenſum eſt. (*)

III. Non miror experimentum Ramazzinianum Dn. SERRARIO non ſtatim ſucceſſiſſe, nam nec ſucceſſit ſtatim Cl. RAMAZZINO. Certe niſi tubus ſatis longus, accurataque libra ſit, non erit differentia ſenſibilis. Caeterum nemo non videt pondus, dum cadit et quatenus cadit, a libra non ſuſtineri. Praeſtat autem pondus eſſe aqua multo grauius ſpecifice, vt minus ab ea ſuſtineatur, et celeritati deſcenſus per longitudinem ſuccurri. Poteſt etiam experimentum capi ſine aqua, vt diſcrimen appareat. (**) Dabam Hanou. 6. Oct. 1712.

P. S. Elegantis Tui in Theodicaeam epigrammatis, ſed erga me paulo fauentioris, D. D. HANSCHIVS me participem fecit.

(*) Conf. Acta Erud. Lipſ. anni 1689. p. 82.

 (**) Conf.

(**) Conf. quae de experimento LEIBNITII, quo bauit, corpus graue per fluidum descendendo grauit suam non exercere, quod a RAMAZZINO pa lum mutatum est, ad epistolam LEIBNITII ad SCH HAMMERVM data obseruaui.

EPISTOLA CLVI.

AD

OTTONEM SPERLINGIVM,

S. Reg. Mai. Dan. a Consiliis et Scribend Historia.

I. *De septentrionis monumentis.* II. *Scandinauia anti et* III. *de Adamo Bremensi, Ditmaro et Anonym Thuringiae Principibus.*

I. Litteris Tuis responsum debeo dudum. I latum est, quia parabam simul dispu tiunculae nostrae continuationem. Sed ea vtcu que concepta, deinde perdita inter schedas, aeg adduci potui, vt actum agerem. Septentrio monumenta seueriore critica indigent, an quam iis vel in temporibus scriptori vicini ribus nedum in remotis fidem habeamus. Pl rumque diuersorum tradita parum cohaere inter se. Vt somnia aegrorum intelligunt, q SAXONEM aliosque conciliare volunt. Sc ptores et Codices satis recentes sunt. Nar tionibus de Asis et similibus vix quidquam t buere audeo. Runographema nescio an vllu compertae vltra Carolinum aeuum antiqui t

tis. Vbique cruces, quas frustra interpretando amoliare.

II. Scandinauiae antiquos incolas Finnolappos fuisse, his ad interiora pulsis littora marginesque a Germanis colonis occupatas ostendit situs locorum vsusque migrationum. At postea colonias ex septentrione in Germaniam rediisse, non ideo nego. Haec omnibus expensis consequutus mihi videor; nec tamen aliorum iudiciis intercedo. Pro Tuis eruditissimis dissertationibus gratias agere memini.

III. Aiunt ADAMVM Bremensem multo Tibi esse edito meliorem. Ego DITMARVM nactus sum non tantum emendatiorem, sed et ampliorem. Anonymum, quem de Thuringiae Principibus edidit PISTORIVS, altero tanto auctiorem habeo. Multos alios medii aeui ex Codicibus meliores reddidi. Itaque iustum volumen Scriptorum restitutorum molior, cuius ornamentum insigne foret ADAMVS Tuus. Sed credo eum ipse mauoles edere, atque illustrare notis. (*) Supersunt mihi et plane inediti, qui aliud volumen implere possint. Et in vtramque curam DEO volente incumbam. Te hortor magnopere, vt tot praeclara opera, quae affecta habes paulatim publico dones. Vale et faue. Dabam Berolini 27. Ianuar. 1703.

(*) Coram patri meo indicauit Consiliarius Regius Danicus OTTO SPERLINGIVS se ADAMVM Bremensem annotationibus suis perpetuis illuminasse eumq; concredidisse fidei librarii Amstelodamensis BOOMII. Sunt duo volumina in forma, quae vulgo quarto audit. Posterius volumen tum possedit SPERLINGIVS, prius restituere noluerunt id temporis vita defuncti BOOMII heredes.

EPISTOLA CLVII.

I. De scriptoribus rerum Brunsuicensium. II. *MSC. G nis et* III. *de Spanhemii et Morelli de re numism commentariis.*

I. Diu est quod in aere Tuo sum, ob e gia munera, quae publico data ad peculiari liberalitate peruenire voluisti. nam non tantum agere gratias, vt feci sae sed et referre pro dignitate possem. Est n sub praelo volumen in folio Scriptorum Hi riae Brunsuicensium inseruientium, partim editorum, partim ex Codicibus meliorum, p tim in paucorum manibus versantium. Eri eo et DITMARVS, vt olim significare me ni, multis lacunis, iisque interdum non vn paginae, suppletis restitutus. Edetur et nu primum vita THEODORICI, Metensis Epis pi, cuius mater fuit ex stirpe Wittekindea, ror matris OTTONIS M. ipsius. Inerunt eti huic volumini GERVASII Tilberiensis in C TONEM IV. ex Brunsuicensi stirpe Impera rem scripta, Otia imperialia, quorum non particulam dedit MADERVS. Multas ha miras fabulas. Sed in iis tamen multa doc et faciem studiorum sui temporis velut in s culo exhibet. Optem, vt ADAMVM Brem sem cum notis et vitam CRANTZII (*) et a multa edas, quibus historiam septentrionis, i omnem aliam eruditionem illustrare potes.

II. Miror, potentissimum Regem vestr Gudiana MSc. e manibus dimisisse. Thes rum continent rei literariae non spernendu

que

quemadmodum Tu omnium optime nosti. Sed talia saepe non satis innotescunt magnis Principibus, adeoque non pro merito aestimantur aut curantur.

III. Amplissimus vir EZECHIEL SPANHEMIVS mihi destinauit exemplum Tomi I. de vsu Numismatum operis. Spero et alterum expeditum iri hac hyeme, qua adhuc in Anglia haerebit, deposita licet legati persona. Vtinam sub oculis eius prodere possit editio magni operis Morelliani, nec tantum inter XII. stet Caesares, sed caetera etiam ex viri schedis ectypisque posthumis adiiciantur, quod si procurabit celsissimus Comes Schwartzburgius immortali beneficio sibi rem literariam obstringet. Quod superest, vale et faue. Dabam Hanouerae 4. Octobr. 1706.

(*) Conf. miscellanea Leibnitiana a IOACH. FRID. FELLERO edita p. 97.

EPISTOLA CLVIII.

AD

GVILIELMVM WOTTONVM,

S. Theologiae in Acad. Cantabrigiensi Doctorem.

I. *Sophiae Charlottae Reginae Borussiae laus.* II. *De Boylii scriptis.* III. *Flamstedio et Kirchio.* IV. *lingua Germanica* V. *fontibus Teutonismi.* VI. *Cambris et Celtis.* VII. *Hiber-*

Hibernis. VIII. *Celto-Britannis.* IX. *Scythica, Celti et Celto-Scythica lingua.* X. *Lingua Slauonica.* XI. *P fcorum lingua.* XII. *Antiquitatibus Brunfuicenfibus Ateftinis.* XIII. *Noua litteraria.*

I. Quo minus Tecum aliisque amicis he anno commercium literarium colerer vt folebam, perturbatio ingens fecit ex mor Reginae Prufforum, quae mihi fauebat vlt fpem votaque, volebatque, vt crebro fecum e fem; ita fruebar faepe fermonibus tantae Pri cipis, qua neque ingeniofior, neque hum nior vlla vnquam fuit; affuetoque huic fuau tati publici luctus fenfus ex priuata caufa ace rimus fuit. Quando illa Hannouerae obii eram Berolini, quod ftatim fequi non licuiffe nemoque ibi tam triftem nuntium expectaba eo acerbius percuffi fumus; Ego certe a per culofo morbo parum abfui, meque aegre coll gi. Erat enim incredibilis in Regina et notit rerum non obuiarum, et cupiditas nofcend rum, mecumque agitabat confilia, quibus cu riofitati fuae fatisfaceret magis, non medioc aliquando in publicum fructum, nifi mors inte cepiffet. Sed haec excufandae in fcribendo mo rae meae dicta funto.

II. Gratulari non Tibi magis quam nob dudum debebam, quod ex funefto cafu falu fuperes. Periclitabatur Tecum veteris noua que doctrinae Gazophylacium quoddam et r centiorum pene princeps BOYLIVS, qui p Te iterum viuet. Vnum petere audeo, v quando Tibi eius fchedae creditae funt, ex cerpi emittique cures, quicquid vel paulu m

memorabile videtur. Nam non tantum experimenta ipſe ſumſerat multa, ſed et certatim ad eum ferebant amici exterique res notatu dignas. Et quantumuis friuola admiſcerentur collectaneis, non ideo facile amittenda putem, quae tantus Vir ſeruanda putauit. Odi eorum ſeueritatem, qui multis nos praeclaris rebus priuant, dum nil niſi praeclarum dare volunt. Quam multa enim ſpeciem, quam merentur, non habent; et ſaepe euentu compertum eſt, quae pro nugis reiiculis habebantur, opinione praeſtantiora fuiſſe. Memini olim adoleſcens, cum primum prodirent MONCONISII itineraria, et ex ſchedis excerpta poſthuma, improbari a quibusdam ſedulitatem edentis, qui et formulas chymicas, et minutorum, quae vocant, ſecretorum deſcriptiones ſeruaſſet, quod ſcilicet quaedam inania interſperſa eſſent: Ego contra ſteti, gratiasque deberi putaui pro fide et cura. Vtinam eandem nobis gratiam facerent, qui Boylianas ſchedas in poteſtate habent. Ex opere eius de vſu Philoſophiae experimentis nixae, aliisque opuſculis apparet, multa indicaſſe potius quam explicuiſſe, quae vtinam ſupplerentur: nam quae aliquando ratio ei ſilentium imperauerat, veluti promiſſum communicantibus ſecretum aliaeque ſimiles nunc ceſſant.

III. Sed ad alia venio. Audio FLAMSTEDIVM veſtrum, Aſtronomum primarium, multorum annorum Obſervationes editurum eſſe: gratulor illi Angliaeque, vbi ſunt, qui praeclaris conatibus fauent. Apud nos GODEFRIDVS

DVS KIRCHIVS, vir non indiligens vig quatuor et amplius annorum obseruationes diose annotauit, sed non est qui excitet iuuet pro Republica laborantem.

IV. Gaudeo, Tibi quoque linguarum sept trionalium curam esse. Spes est labores SCH TERI et MEIERI non plane perituros, et qu supersunt, qui traditam lampada profera Sed pauca iam extant scripta in hoc gene GOLDASTVS multos Poetas Germanos habu qui ante quadringentos fere annos scripse vt ex Parenaeticis eius apparet, sed pauca ir publicauit nec dixit vbi tunc laterent. Ne nullos tamen postea vidi. Prosunt illi, vt co nectant facilius antiquiora nouissimis, pau timque linguae mutatio, et veri vocabulor sensus noscantur. MARTINVS OPITIV vir doctrina ingenioque summus, qui prim Poesin Germanicam ad aliarum gentium la dem extulit, in ANNONIS, Archiepiscopi C loniensis, qui undecimo seculo floruit, vitam Poeta antiquo carmine Germanico scripta notas dedit vtiles. SCHOTTELIVS, qui n paruo opere linguae Germanicae Gramma cam complexus est multa habet profutura antiquitates Teutonismi noscendas, idemq Scriptores citat.

V. Danorum et Suionum et Norwagioru dialectus antiqua apud Islandos vtcunque pereſt: sed non est quod quis magis inde fo tes Teutonismi petendos putet, quam ex v tere Anglo-Saxonico, aut Alamannico, a Francico sermone, quanquam id viri docti

ſeptentrione aliis perſuadere velint, iactantius quam verius. Vlphilae dialectus, quae eſt antiquiſſimum Teutoniſmi monumentum, non magis ad Septentrionales quam ad nos pertinet. Neque minus apud nos extant ſeptentrionalium vocabulorum radices (praeſertim ſi plebeia verba per agros et prouincias Germaniae ſparſa adiungas) quam apud illos noſtrorum. Nec dubium puto, quin Scandinauii Teutones colonia ſint Germanorum Ciſmarinorum, qui olim per inſulas et freta transgreſſi, littoralia et meliores terras occupauere, antiquis habitatoribus, i. e. Finnolapponibus, in interiora pulſis. Etſi ſerius colonias in hanc Germaniam ex ſeptentrione aliquando rediiſſe non negem.

VI. Vt Anglos Saxonum antiquorum, ita Cummeros vel Cambros veſtros Cimbrorum huius littoris noſtri, qui pars Celtarum, pro parte certe colonias eſſe credo. Celtarum autem nomine intelligo populos eius ſermonis, vnde fluxit quicquid commune eſt Germanico et antiquo Gallico, quod in Wallia veſtra, et Cornubia et Britannia Aremorica ſupereſt vtcunque. Plurima enim in his reperio conuenire cum Germanico, et appareret magis conſenſus, ſi antiqua noſtra magis ſciremus, ex quibus quam multa perierint, paucula antiquae linguae fragmina probant.

VII. Porro Hibernos crediderim profectos ex antiquis Britannis; et maioris adhuc antiquitatis teſtes eſſe. Solent enim venire inſulanae gentes ex vicino littore continentis, et facilius in remotioribus locis antiqua ſeruantur.

Vt

Vt igitur ex Anglis veſtris diſcunt noſtri Sax
nes partem ſuarum Antiquitatum; ita ex B
tannis veſtris diſcimus nonnihil, quis ſerr
Cimbrorum ante Saxones; et ex Hibernis, c
in Britannia fuerint ante hos Britannos; adeoq
qui in ciſmarino littore ante ipſos Cimbros.

VIII. Magna voluptate legi, quae de LHV
DII laboribus Celto-Britannis narras, Lithol
giam eius videre non memini. HICKES
opus expecto auide, et Domino ANDREA
FONTANO Equiti aliquot Anglo Saxonic
nummos transmiſi ex Swarceburgici Comit
Muſeo ichtyocolla expreſſos, ſed non didi
an acceperit.

IX. In Slauonica lingua multa ſunt comm
nis originis cum Germanicis, nonnulla et cu
Graecis; talia ego Scythica appello, vt qua
Latinis, Wallis, Germanis communia ſun
Celtica; denique, quae Gallis, Germanis, Sl
uis, Celto-Scythica.

X. Video Cl. BERNARDVM aliosque in Sl
uonico aliquid Teutonico antiquius quaeſiiſſ
neſcio an iure. Saepe enim notaui Radicu
ſignificationes in Germanico melius noſci. Se
et Finnolapponum magna gens eſt, his Aeſt
Liuonesque nonnihil ſermone vicini.

XI. Vaſcorum lingua me maxime perplexu
habet, vsque adeo caeteris omnibus diſſidet Eu
ropaeis. An ab Africa olim in Hiſpaniam ve
nit?

XII. Collectionem Hiſtoricorum ſub prae
lum miſi, quibus antiquitates Brunſuicenſe
et Ateſtinae (nam ex his eſt regnatrix haec fa

milia

milia) illustrantur. Sed omnes scripti sunt ante Reformationem, bona pars nondum prodierat. Nonnulli dantur non correctiores tantum ex Codicibus, sed et locupletiores. Ita DITMARI, Mersburgensis Episcopi, qui sub Saxonibus Imperatoribus floruit, multas paginas suppleui: inseretur Collectioni isti Poema Germanicum ad Historiam Brunsuicensem pertinens, seculo decimo quarto scriptum, et Leges antiquae Brunsuicensium ex seculo decimo tertio, simili sermone, cuius plurimum superest hodie apud plebem Saxoniae inferioris.

XIII. In Germania quaedam prodeunt Opuscula non spernenda, sed pauci libri insignes iusta magnitudine. Nuper Cl. BRAVNIVS, Theologus celebris apud Groninganos, luculentum Commentarium in Epistolam ad Hebraeos ad me misit. Cl. FABRICIVS, qui Hamburgi docet, Bibliothecae Graecae partem nuper edidit; amplior erit Latina, quam Oxoniae recusam videris: Vir est doctus ac diligens. Vale et me ama. Dab. Hanou. 10. Iulii 1705.

EPISTOLA CLIX.

AD

IO. ALBERTVM FABRICIVM,

S. Theolog. Doctorem et Professorem Hamburgensem celeberr.

I. De

I. De Anastasio Michaele Macedone iuuene graeco et II. Longi Bibliotheca Scripturae Sacrae.

I. Vt has ad Te darem literas fecit iuuenis Graecus, Medicinae et bonarum artium ſtudioſus, ANASTASIVS MICHAELIS MACEDO. Quum nuper apud Halas Saxoniae verſaretur orationem publice pronuntiauit a ſe conſcriptam ſermone patrio, qua Regi Pruſſorum nurum gratulatus eſt. Typis excuſam hic obtulit, nec ingratam fuiſſe ſenſit. Ex eo Francofurti ad Oderam egit, ſed cum aër et victus harum regionum valetudini eius officiant ad Batauos Anglosque iter molitur. Ego petentem Tibi commendo, veterem Graeciam ornanti, nec aſpernanti nouam, in qua habere notos aliquando vtile eſſe poterit.

II. Pars Bibliothecae Graecae a Te edita mire erexit expectationem noſtram. Audio etiam, Te plurimum notaſſe circa interpretes Scripturae Sacrae, quibus frui poſſet LONGVS, Vir optimus ex Oratorio Pariſino, quem Bibliothecam Scripturae Sacrae moliri non ignoras. Editionum recenſionem praeire iubebit, huic ſi conferre aliquid voles, poteris enim haud dubie, et me, et illum, et Rempublicam Tibi obſtringes. Ampliſſimus MEIERVS diu manuſcriptam LONGI collectionem habuit, et animaduerſionum ſpem fecit, ſed quam diſtractiſſimus non implet. Noſſe Tuo beneficio deſidero quid factum ſit Gudianis Codicibus? Vale ac faue. Dabam Berolini 28. April. 1707.

EPISTOLA CLX.

I. *Fabricii Bibliotheca graeca laudatur.* II. *De corpusculo* κειμηλίων φιλοσοφικῶν. III. *Litteris Reginae Christinae, et Sophiae Charlottae, Reginae Borussiae* IV. *Huyssenii de arte diplomatica scripta.* V. *Longi Bibliotheca Scripturae sacrae.* VI. *De manuscriptis Gudianis.* VII. *De iconibus numorum morellianis.*

I. Literas Tuas, rem per se gratissimam, cum insigni munere accepi; vtrumque vellem demereri posse. Interea multas gratias ago, et qualecunque redhostimentum quaero. Ne citius responderem absentia fecit, nam vix nuper domum redii. Ex vtroque beneficio Tuo fructum iam percipio; Multa enim docet Bibliotheca Tua sane recondita, quae in maximis Principum Bibliothecis frustra quaerentur. Meministi mei honorificentius, quam conscius tenuitatis suae expectare possit, quo magis ego beneuolentiam Tuam agnosco et exosculor.

II. Admonet ille locus Tuus vt consilii mei rationem exponam. Quum haberem RATRAMNI quaedam inedita ad Philosophiam spectantia, et recentiorum Philosophorum alia, velut CAMPANELLAE, VALERIANI MAGNI, CARTESII, PASCALII; (*) cogitaui, addito SVISSETO, subtilissimo homine et in Philosophia pene mathematico, (**) confici posse corpusculum κειμηλίων φιλοσοφικῶν, cui non male accessissent illa PROCLI, a GVILIELMO de MORBEKA latine versa, (***) neque alias extantia, si nancisci licuisset.

III. Non parum etiam ex epistola Tua proficio.

ficio. Literas Reginae CHRISTINA
COLOMESIO collectas neque videre, ne
audire memini. Oportet ab If. VOSSIO c
eo communicatas fuisse, qui cum Regina f
Vtinam plerasque a Regina Borussorum, et
eam scriptas non combussissent male circu
specti homines, haberemus, quae facile c
póni Reginae Svedorum possent. Non pau
tamen passim servatae sunt, et inter eas n
nullae ad me ipsum mihi superant, vnde v
ingenii in Principe foemina, animumque m
ad doctrinas erectum intelligas. (†)

IV. HVYSSENIVS Russorum Monarch
apud Caesarem Apocrisiarius nuper ad me h
hyeme misit opusculum, quod hic additum
des, ab Italis amicis procurandae impressio
causa, fidei eius creditum. Forte rem ad n
pertinere putavit, quod Codicem diploma
cum emisissem. Scis GERMONIVM quenda
Iesuitam in MABILLONII artem diploma
cam animaduersiones edidisse. FONTANINI
eum vltus est, et succenturiatus huic cont
Triuultianos recensitores LAZARINVS ICt
Italus; quem quum Triuultiani iterum pup
gissent, hae in homines aculeatos epistolae v
lut spicula torquentur. Optarat HVYSSENIV
vt nuperrimis nundinis vernis prodirent. S
mihi reduci demum redditae sunt. Addidit, v
si bibliopolam paratum non haberem, Cl. LE
MANNO apud vos historiam recentium liter
rum temporaria opera statis interuallis vtilit
edenti, commendari curarem. Id mihi co
silium placuit: nam, vt verum fatear, ipsem

hi

his litibus parum faueo; atque adeo inter doctos certari operibus, non verbis, et quicquid offendit, siue falsum, siue acre sit, suppressum mallem. Itaque rogare audeo, vt Cl. LEHMANNO opusculum hoc cum multa a me salute mitti cures, et desiderium amici HVYSSENII ei indices; nisi ipse editionem per bibliopolam aliquem a Tua sententia pendentem mature curare malis. Hoc Tibi negotium non facesserem, nisi saltem non ingratam Tibi lectionem opellae huius fore sperarem.

V. Indicem eorum, qui Psalmos Dauidicos metaphrasi poetica Graece Latineue donarunt, statim vt nactus sum, ad LONGVM misi; cui mire gratum fore auguror. Ad MAYERVM nostrum, Theologum apud Pomeranos primarium, iterum scripsi, petiique, vt indicem Germanorum Scripturae Sacrae interpretum remittat. Tibi quoque non parum debeo, quod doctissimo et occupatissimo Viro auriculam vellere voluisti.

VI. GVDIANOS Codices, quando dominus tantum eis pretium constituit, non facile alios, quam Anglos emtores inuenturos puto. BIGOTIANI Codices (etsi his non pares, tamen non spernendi) vili admodum pro Regis Christianissimi Bibliotheca redemti sunt. Gaudebo, si labor, quem GVDIVS in veterum inscriptionibus impendit, in communem vtilitatem proficiat, annotationibus tanti Viri ab interitu vindicatis. (††) Quae inter Manuscriptos Codices venales ab ipsius manu extant,

magis apparatus, quam operis ad editio
destinati, speciem habere intelligo.

VII. Cellissimum Comitem Arnsta
Schwartzburgicum nuper Lipsiae hortatus s
vt MORELLIANAS nummorum veterum
nas omnes edi curet, neque intra XII. Caes.
subsistat. Sed desunt adiutores labori pa
Ego Cl. SCHOTTVM BEGERI sorore nati
et auunculi successorem commendaui; ico
graphica diligentia, cuius hic palmaria esse
ra debet, ad MORELLI laudes aspirant
Quod superest, vale et faue Dabam Hano
rae 7. Iul. 1707.

(*) Inter LEIBNITII libros rariores scripta quae
inedita PASCALII, P. VALERIANI Mag
CARTESII Tractatum MSc. de Methodo ab e
plane diuersum, CAMPANELLAE Monarchiam M
siae MSc. etc. fuisse, cel. IOACH. FRIDERICVS FE
LERVS in praefatione otio Hanouerano praemissa co
memorat.

(**) De SVISSETO vulgo *calculatore* dicto conf. LE
NITIVS in otio Hanouerano p. 42.

(***) De interpretatione latina commentationis philosophi
PROCLI de libertate contingentia et origine mali co
LEIBNITIVS in Epistola ad summum virum MAT
RINVM VEYSSIERE LA CROZE die 17. Ma
1712. data, quae in hoc volumine est epistola CCXX.

(†) Mihi relatum est celeberr. BOVRGVETVM aliq
Reginae Borussorum possidere epistolas ad LEIBN
TIVM datas, illumque eas publicae luci velle exponer

(††) *Antiquae Inscriptiones quum graecae tum latin*
olim a MARQVARDO GVDIO *collectae, nuper*
IOANNE KOOLIO *digestae hortatu consilioque* I
GEORGII GRAEVII *nunc a* FRANCISCO HE
SELIO *editae cum annotationibus eorum Leward.*
1731. in fol. prodiere.

EPISTOLA CLXI.

I. Leibnitius Fabricio scriptores rerum Brunsuicensium a se editos mittit. II. De noua Eustathii in Homerum commentariorum editione. III. De scriptoribus rei rusticae.

I. Multiplex debitor sum, et humanitati Tuae, et liberalitati. Vtinam leuidense opus, quo scriptores quosdam Brunsuicensia illustrantes complexus sum, quod ad Te peruenier, satis gratitudinem meam testari posset. Alter Tomus mox praelum subibit.

II. Parisiis ad me perscribitur, EVSTATHII, Thessalonicensis Archiepiscopi, Commentarios in Homerum rursus praelo parari post Romanam et Basileensem editionem. Accedet versio latina et necessariae quaedam notae, editorque CAPERONERIVS diligenter conferet textus autorum ab EVSTATHIO citatos cum ipsis autoribus. Videtur Anglorum in his studiis diligentia Gallorum excitare studium laudabili aemulatione. THEODORVS ille a BVLLIALDO editus, quem memoras, an Guelfebyti extet videbo, vbi nunc illuc iero.

III. Dn. SCWARTZIVS, qui in Gymnasio Coburgensi professorem agit, de scriptoribus Rei Rusticae edendis cogitat. Habet Herwagianam et Commelinianam editionem, aliis credo subsidiis destitutus. Puto Mss. haberi in Gudianis. Vtinam iuuare viri studium posses. Hamburgo Te abire quidam ad me retulere, sed silentium Tuum ea de re facit, vt dubitem. Audeo petere, vt additas curare ad Dn. LEH-

MANNVM velis. Quod superest, vale et faue. Dabam Hanou. 13. April. 1708.

EPISTOLA CLXII.

I. *Io. Frid. Mayeri elogium.* II. *Dodwelli laus.* III. *De Theodicaea Leibnitii.* IV. *Andersonii laus.* V. *De Sexto Empirico.*

I. Ea die, qua literas Tuas sane gratissimas accepi, recta Herenhusam profectus sum, villam vrbi vicinam, vbi serenissimus Elector per aestatem agere solet, literasque MAYERI nostri Theologi primatis reddidi. Grata Principi fuit recordatio Viri, quem pro merito aestimat, respondítque humanissime et ad votum; moxque Dn. de FABRICE Consiliario rerum bellicarum ad Regem Poloniae destinato, et ambobus Regibus, si coniungant copias, affuturo, in mandatis dedit, vt curam Viri amici rerumque eius, qua fas erit, gerat. Ab ipso Dno. de FABRICE intellexi, si Reges non coëant, Dn. Consiliarium PVCHLERVM Danicam aulam sequuturum, et per hunc inuigilari posse. Haec ad ipsum Reuerendum MAYERVM cum multa cultus mei significatione perscribi peto addique, R. P. LONGVM ex Oratorio Parisino exemplum suae Bibliothecae Scripturae Sacrae quale Parisiis prodiit, ipsi per me destinasse quod nisi aliter iubet, Lipsiam in proximas nundinas mittam, vbi esse poterit, qui ipsius nomine accipiat a Foerstero bibliopola nostro.

II. DODWELLVM dicent aliqui in terris morari desiisse; Ego, etsi doleam in paradoxa i

dic

dicula prolapſum, tamen, quantam in eius obitu doctrina antiquitatis iacturam fecerit, ſatis intelligo.

III. Mea Theodicaeae tentamina gaudeo Tibi intelligentiſſimo iudici non diſplicuiſſe.

IV. Ampliſſimum ANDERSONIVM Syndicum Veſtrum rogo data occaſione a me ſalutes; Ego multa praeclara, ad leges praeſertim veteres iuraque Germaniae illuſtranda, ab eo expecto.

V. Sed imprimis ſcire intereſt, quid ipſe commodo publico agas. Non dubito, quin immortale opus Bibliothecae Graecae recte procedat. Aiunt, Te de SEXTO EMPIRICO edendo cogitare. Meretur hoc autor ſubtilis et doctus, in cuius initia quaedam olim, ſed non niſi φιλοσοφέμενα, notaueram. Tu praeterea ſcriptores luminibus Hiſtoriae et Critices colluſtrare potes et ſoles. Vale. Dabam Honou. 14. Auguſt. 1711.

EPISTOLA CLXIII.

I. *De Longi Bibliotheca Scripturaria.* II. *Fabricii elogium.* III. *De Conſtantini Porphyrogennetae de re caerimoniali opere.*

I. Literas Mayerianas ad Sereniſſ. Electorem ſtatim curaui, gratioſe de more ſuſceptae ſunt: LONGI ex Oratorio pariſino viri docti opus ex praeſcripto ad Gleditſchium in nundinas Lipſienſes miſſum eſt obſignatum, et MAYERO noſtro, inſigni viro, inſcriptum; ad quem fortaſſe iam peruenerit.

II. Tua omnia auide et a me et a literatis

omnibus expectantur, quibus aliqua est cura elegantioris doctrinae.

III. Puto ante annos aliquot Tecum loquutum Francofurtensem virum doctum, et librorum non vulgarium curiosum, qui aiebat, ad se peruenisse Opus CONSTANTINI PORPHYROGENNETAE de Re Ceremoniali Aulae et Ecclesiae Constantinopolitanae: aiebatque daturum se operam, vt edi posset. Quo nunc res sit loco, si scis, discere Tuo beneficio velim. Vale et faue. Dabam Hanouerae 6. Decembr. 1711.

EPISTOLA CLXIV.

I. De Fabricii panegyrico Carolo VI. Imperatori dicto. II. De Io. Frid. Mayeri obitu. III. De nouo scriptorum Byzantinorum volumine edendo. IV. Longus Bibliothecam scriptorum Historiae Francicae meditatur.

I. Quem Caesari nouo panegyricum dixisti, dignum doctrina tua, dignum CAROLI magnitudine, cum voluptate legi, et pro eleganti munere gratias ago.

II. Inclytum Theologum, IOHANNEM FRIDERICVM MAYERVM, inopina mors nobis eripuit; ita nos amicum amisimus; Ecclesia nostra promachum non spernendum; respublica literaria ciuem eruditum.

III. Dn. VFFENBACHIVS recte faceret, si de edendo CONSTANTINI PORPHYROGENNETAE Opere cogitaret, cui si accederet GENESIVS ex Paulina Lipsiensi, haberemus nouum insigne Byzantinorum volumen. (*) Putem BOIVINVM, qui Parisiis nobis NICEPHORVM

GRE-

GREGORAM auctum dedit, libenter hanc curam in se suscepturum, si crederetur ei Codex: sed VFFENBACHIVS Thesaurum non temere e manibus amittere volet, neque ea sunt tempora, vt Regis Galliae sumtibus curandam editionem sperari possit.

IV. R. P. LONGVS, cuius specimen Bibliothecae scripturariae prodiit, in eo nunc est, vt colligat scriptores Historiae Francicae, eorumque indicem edat, Cheniano auctiorem. (**) Quod superest, vale et faue. Dabam Brunsuigae 19. April. 1712.

(*) De IO. GENESII de historiae Byzant. MSc. Scriptoris aduersa fortuna quoad operis editionem dissertatio extat in *Histoire Critique de la literature* T. XV. p. 191.

(**) IAC. le LONG *Bibliotheque de la France concernant le Catalogue de tous les Ouurages tant imprimez que MSc. qui traitent de l'Histoire de ce Royaume* 1719. Parisiis in fol. prodiit.

EPISTOLA CLXV.

I. *De Bibliotheca Mayeriana.* II. *De antiquitatibus linguae Germanicae.*

I. Vix ad Te dederam literas, quum Tuas accipio, et Mayerianas, filii MAYERI, quibus rogabat Parentis sui Bibliothecam Sereniss. Electori venalem offerendam, nec deero desiderio, quantum in me erit, ac Serenissimo Electori proponam, quae offeruntur petunturque. De redemtione Bibliothecae haereo; iniri tamen ratio poterit, vt spero, qua exportatio adiuuetur: Proxima septimana Hanoueram reuersus rem sine mora agam.

 II. Si

II. Si qua se offerat occasio, Amplissimo ANDERSENIO officiosam salutem a me nuntiari peto; spero id acturum, vt antiquitatum Germanicae linguae, praesertim circa verba iuris, adiuuetur studium, Dominus ECCARDVS noster subinde in stadio, quod ingressus est, decurrere pergit. Ego quoque ex collectaneis veteribus meis fasciculum, nonnullorum ad Etymologiam Teutonicam pertinentium, dabo. (*) Quod superest, vale et faue. Guelfebyti 21. April. 1712.

(*) LEIBNITII Collectanea Etymologica cum praefat. IO. GEORGII ECCARDI Lips. 1717. in 8. publicae luci sunt exposita.

EPISTOLA CLXVI.

I. *De Bibliotheca Mayeriana.* II. *Io. Christ. Wolfii elogium.*

I. Significare volui, ipsum Electorem ad potentissimum Poloniae Regem scripsisse, vt Mayeriana Bibliotheca sarta tectaque conseruetur, et tuto pro arbitrio haeredum in alia loca transferri possit: nec dubium est, si porro opus sit optimi Principis auxilio, petentibus non defuturum. Id rogo Domino D. MAYERO magni Theologi filio, cum multa a me salute nuntiari.

II. Intelligo Cl. WOLFIVM Witeberga ad vos translatum; Itaque adjutorem egregium habebis in praeclaris studiis, quae nunc pene exulant omni Germania, et a Te prope vno conseruantur, aut iis, qui Tuo exemplo, Tuis auxili-

is,

is, ad meliora aſſurgunt. Vale. Dabam Hanou. 30. Maii. 1712.

EPISTOLA CLXVII.

I. *De varietate ſtudiorum Leibnitii.* II. *Fabricii opuſcula de menſibus.* III. *Seb. Edzardi in Hebraicis ſcientia laudatur.* IV. *Io. Chriſt. Wolfii elogium.*

I. Putabam, me literis Tuis humaniſſimis reſpondiſſe et pro inſigni munere publico gratias egiſſe. Sed nunc dubito an officio ſatisfecerim, quia literas tuas Wolfianasque eo loco repoſitas reperi, vbi expeditas collocare non ſoleo. Incertus ergo quid fecerim aut non fecerim (quia diſcurſatiunculis, et varietate rerum nonnihil ſubinde confundor et perturbor) ſcribo, et ſi opus eſt, veniam peto.

II. Magis ad publicum morem Tuum praeclarum opuſculum de Menſibus alteri inſcribere poteras, cuius vtilior eſſet applauſus, nemini, qui me magis Tuis caperetur, iisque maius pretium poneret; Itaque plurimum eo nomine debeo, etſi maluiſſem deprecari immeritum honorem. De Menſium nominibus apud Anglo-Saxones aliquid dixi in Tomo I. ſcriptorum Brunſuicenſia illuſtrantium. Nuper detexi, ni fallor, veram originem noſtri *Hornung.* Ex aedis pariſinae Cathedralis fundamentis effoſſa ſunt nouiſſime monumenta quaedam antiqua Celtica, in quibus eſt lapis, cui inſculpta figura Dei cornuti, et inſcripta Vox KERNVNNOS. Vnde collegi, Deum Germanis Gallisque hoc nomi-

nomine cultum, cuius Februario mense festa celebrabantur. Pan sit, vel Faunus, an Bacchus, quem cornutum faciebant veteres ex cornubus bibentes, Tu iudicabis.

III. Dominus EDZARDVS vester rectius et minore aliorum offensa in Thalmudis, quam in controuersiis Theologicis versabitur. Post Mischnam versam Gemara nobis deest, in qua ille laborare posset, quanquam fortasse Mischnae quoque versio nouas curas mereatur.

IV. Etsi Cl. WOLFIVS, iam vester, haud dubie etiam in Bibliotheca Rabbinica facturus sit operae pretium, vt solet, optem tamen studium excolendae philosophiae Graecorum non plane ab ipso deponi. Quod superest, vale et faue. Dabam Hanou. 18. Octob. 1712.

EPISTOLA CLXVIII.

I. *Widouius laudatur.* II. *De Barnabae Euangelio.*

I. Iam ex Cl. TVRNEMINI literis Lutetia Parisiorum allatis, magisque ex suis virtutibus innotuerat mihi Nobilissimus WIDOVIVS vester, quum Tuae gratissimae accessere, quas ipsi debeo. Multum enim gaudeo de Te saltem quod valeas didicisse. Optime apparet vsum tempore suo in itineribus, quod nec Viennae male collocabit, Tuamque et suorum spem facile implebit.

Magna cum voluptate ex ipso intelligo quid agas: nam Tu, quod scire magnopere opto, in ipsum reiecisse videris, quanquam et praeclarus Vir IOH. CHRISTOPH. WOLFIVS iudicauit,

cauit, nihil mihi gratius Tuis progressibus nuntiari posse.

II. Venit in mentem quaerere, nihil ne Tibi, qui Apocrypha N. T. peculiari cura tractasti, compertum de Barnabae Euangelio? Serenissimus Sabaudiae princeps EVGENIVS habet Codicem lingua Italica, manu non recentissima hoc titulo scriptum. (*) Quod superest, vale et faue. Dabam Viennae Austriae 28. Iulii. 1714.

(*) De hoc ipso Codice, qui BARNABAE Euangelium complecti dicitur, ex instituto disputat celeb. IO. ALB. FABRICIVS P. III. Codicis Apocryphi Noui Testamenti p. 373-394. vbi etiam fragmenta ex eodem exhibet. Idem facit ven. IO. LAVR. MOSHEMIVS *in vindiciis antiquae Christianorum disciplinae aduersus* IO. TOLANDI *Nazarenum* Sect. I. p. 22. seqq. *Eum*, inquit, *codicem quondam tenuit illustris quidam vir, qui fortunarum suarum sedem Amstelaedami fixerat. A quo aut vnde hic eum acceperit, nullus eorum, qui illius meminere, prodidit. Hoc vero certum, ingens hunc, dum viueret, pretium illi statuisse, quale chartae tam insulsae non merebantur. Diem quum is obiisset*, IO. FRIDERICVS CRAMERVS, *Borussiae Regis a consiliis, quem fatorum non minus inuidia, quam elegans, qua valebat, eruditio nobilitauit, possessor eius factus est. A quo quum* TOLANDO *nostro euoluendi eius facultas, sed ad breue tantum tempus, concessa fuisset, statim is ad incomparabilem Sabaudiae Principem ac Heroem*, EVGENIVM, *quem se litteris interdum compellare gloriatur, de eo retulit, quoniam multorum numorum ac rarissimorum librorum Bibliothecam eum condere coepisse nouerat. Quare monitus celeb.* CRAMERVS, *obtinendi eius desiderio egregium flagrare Principem, vltro eum obtulit, annoque* ciɔiɔccxiii *nomini illius consecrauit.* In dedicatione praefixa CRAMERVS tuetur, a SERGIO, Monacho Nestoriano, vno e tribus illis ALCORANI architectis Euangelium, quod BARNABAE nomen prae se fert, esse elaboratum. Quam qui-

quidem CRAMERI sententiam semet ipsam euertere MOSHEMIVS l. c. p. 25. seq. abunde declarat. Ibidem p. 32. quid omnis eruditionis peritissimus M. V. la CROZE de hoc BARNABAE Euangelio iudicarit, recenset, eiusque iudicio subscribit. Videlicet celeb. la CROZE in literis ad doctiss. IO. ALB. FABRICIVM IV. Idus Dec. 1718. datis: *Foetum*, inquit, *recentem nebulonis alicuius Apali vel Calabri Semi-Mahumedani et Semi-Christiani e reliquiis eorum, quos constat tempore* FRIDERICI II. *Imperatoris magno numero has regiones coluisse et stipendia meruisse in eius exercitibus suspicor. Neque enim Sarraceni, etsi ineunte vndecimo saeculo feliciter a Normannis debellati sunt, e veteris magnae Graeciae partibus, quas incolebant, inde omnes vsquam pulsi sunt, quia nonnullos adhuc ibi superstites esse, olim aliquo loco legere memini, Arabico quidem idiomate corrupto vtentes, sed Romanis sacris addictos. Inde ergo ortum, Pseudo-Euangelium illud etiam ex ipsa Italica dialecto mihi satis probabiliter suspicari videor, adeoque nihil minus quam antiquum.*

EPISTOLA CLXIX.

I. *Leibnitius cum Fabricio Epigramma aliquod communicat.* II. *Widovius laudatur.* III. *De Perizonii posthumis.*

I. Gratias pro praeclaro munere reddo, quo rempublicam literariam ornare pergis. Ipse iudicaui barbara mea ex ferrea aetate, Tuis ex argentea, vt sic dicam, comparari non posse. Ecce Epigramma, quod vt granum sabuli, moli meae addo. Videbis pagina versa.

II. Gaudeo WIDOVIVM vestrum, imoque meum, de mea certe bona voluntate persuasum esse. Velim ex ipso discere, vt valeat, ut rem gerat, vt mei meminerit etiam apud amicos remotiores.

III. Nihilne a PERIZONIO posthumum speratur?

ratur? Habuiſſe egregias obſeruationes in numerato, non dubito. An affecta quaedam inter ſchedas reperturi ſint amici, fortaſſe diſcemus. Quod ſupereſt, vale et faue. Dabam Hanou. 25. April. 1715.

P. S. Cl. WOLFIVM veſtrum ſpero a Iudaeo noſtro aliquid bonae frugis habiturum.

In Neptunum pacti ſtatorem, quum mare Mardicenſis aquaeductus exitum Stabulo oppleuiſſet.

Anglia Neptuno conqueſta eſt, Gallica pacta
Irrita ludibriis eſſe pudenda ſuis.
Quid Dunkerca vacet, ſi proxima Mardica ſurgat,
Longa qui ſit ſtatio quae modo lata fuit?
Cui Deus: hoc poteras cauiſſe o filia; falli
Plus ſemel illuſus foedere, dignus erat.
Ipſe tamen tueor. Quatit et mox ipſe tridentem,
Et ſubito eſt cumulus, quae modo foſſa fuit.

EPISTOLA CLXX.

AD

IO. CHRISTOPHORVM WOLFIVM,

Primum Philoſ. Prof. Vitemb. nunc Paſtorem Primarium templi Catharinae Hamburgenſ.

I. *De inſigni hiſtoriae philoſophiae vtilitate et* II. *de Wolfii de Bogomilis diſſertatione.*

I. Tua

I. Tua ſemper licet tacitus, vt par erat, eo magis æſtimaui, qua pauciores eſſe hodie video, qui veterem doctrinam colant. Sententias Philoſophorum Graeciae et antiquae Eccleſiae doctorum, ex ipſis elici fontibus, ſtudium eſt, quod mihi vtile videtur ad pondus dandum novis veritatibus, quae plerumque antiquis conſpirant. Itaque valde applaudebam olim iuuenis IACOBO THOMASIO, inſigni viro, qui Hiſtoriam non tantum philoſophorum, ſed et philoſophiae mihi tractare videbatur. Et IOHANNIS HENRICI HORBII inſtitutum probabam, qui, impulſore THOMASIO, venas philoſophorum in agros Patrum Eccleſiae deriuatas, non ſpernendus aquilex perſequebatur, et in ORIGENE ſpecimen dare coeperat. Sed THOMASIVM mors mox abſtulit, HORBIVM praeiudicatae quaedam opiniones alio tulere. Te video haec damna reſarcire poſſe, cui adſunt aetas, doctrina, animus. Macte hoc ſtudio, et Te vulgo literatorum noſtri temporis eripere perge, qui fere extemporaneis conatibus per rerum ſuperficiem inclareſcere volunt.

II. Gratias ago, quod Bogomilos Tuos ad me miſiſti. Inter alia iucundum fuit ex ipſo nomine horum haereticorum comprobatam videre ſententiam a me nuper defenſam, quod Bulgari Slauonica gens fuerint. LA CROSIO noſtro, viro vndequaque doctiſſimo, multum debeo, quod Tui mihi notitiam conciliarit. Quod ſupereſt, vale et faue. Dabam Hanou. 11. Dec. 1711.

Vitembergam.

EPISTOLA CLXXI.

I. De Wolfii Bibliotheca Rabbinica et II. de philosophia veterum.

I. Quum literas Tuas inter eas repererim, quibus nondum respondi, suspicor officio me meo defuisse et si ita est, veniam peto. Literas, quas amico curandas dederas, non accepi: interea cum voluptate percipio ex nouissimis tuis Te mei beneuole meminisse, et pergere in studio de Republica bene merendi. Gratulor etiam sedem nouam, et in ea prospera auguror precorque. Non dubito quin multa profutura lateant, etiam in Rabbinorum paludibus, quas quum lustres, et Bibliothecam eorum nouam et succinctam moliare, optem interdum data occasione, annotari loca eorum meliora et amoeniora, vt ex iis proficere possimus, vbi quid habent paulo dignius scitu. Fortasse HERMANNVS VON DER HARDT Vir Cl. hic prodesse posset, si in consilium adhiberetur.

II. Gaudeo, Te Florentia nactum quae ad φιλοσοφέμενα a Te edita emendanda faciunt, et spero curam enucleandae veteris Philosophiae non depositurum. Saepe optaui, veteres Aristotelis interpretes in compendium contrahi. Sed hodie nesciunt homines aliquid in illis latere scitu dignum. Quod superest, vale et faue. Dab. Hanou. 18. Octobr. 1712.

Hamburgum.

EPI-

EPISTOLA CLXXII.

I. *De Bibliotheca Rabbinica Oppenheimeri.* II. *De Historia Philosophiae et Theologiae gentilis.*

I. Sero respondeo, quod indies hinc discedere parabam, et quae petebas non facile per literas conficere possum, sed ne nunc quidem me hic absoluere potui. Consilio Tuo instruendae Bibliothecae Hebraeae merito applaudo. Bibliothecam OPPENHEIMERI Iudaei in vrbe Hannouerana latere ignorabam. Quod si quid inde speras, putem optime Te facturum, si literas des ad summum Virum, Eumque humanissimum GERHARDVM MOLANVM, Abbatem Luccensem, primatem Statuum Consiliarium Serenissimi Electoris Ecclesiasticum et Ecclesiarum Electoralium Directorem, cuius non mediocris est etiam apud Iudaeos auctoritas. Caeterum circa rem Iudaeorum librariam etiam celeberrimum Virum HERMANNVM VON DER HARDT, vtiliter consuli posse putem. Insignem plane Virum IOHANNEM ALBERTVM FABRICIVM a me data occasione officiosissime salutari peto.

II. Hebraeis absolutis, Te, ad Historiam Philosophiae ac Theologiae gentilis illustrandam, rediturum spero: Ipsum Fabricium nostrum aliquando de SEXTO EMPIRICO recudendo cogitâre intellexi, vtilis labor praesertim si etiam res ipsae expendantur. Memini, me olim in librum primum Notatiunculas coniicere in chartam. Quod superest, vale et faue. Ita petit etc. Dabam Viennae Austriae 1. Nou. 1713.

EPI-

EPISTOLA CLXXIII.

I. *Widonii laus.* II. *De Bibliotheca Rabbinica Oppenheimeri.* III. *Noua quaedam litteraria.* IV. *De Cruce a Constantino M. visa.* V. *Fragmentis Irenaei a Pfaffio editis et* VI. *Samaritanis.*

I. Nobilissimi WIDOVII vestri consuetudine et doctrina multum delector, neque exiguum est, quod litteras Tuas et Fabricianas ipsi debeo.

II. Debet Tibi Hanouera, quod didicit, quem thesaurum defossum habeat in Rabbinica Bibliotheca, quem nos ibi latere iuxta cum ignarissimis sciebamus. Non spero, Te in eo reperiisse, aut reperturum esse, pro auro carbones.

III. QVESNELLVM, cuius notas in N. T. latine edi memoras, hostes sui illustrant: FENELONII liber, quo Deum existere probat, Gallice scriptus, in alias linguas verti meretur, vt fieri nuncias. Est enim elegans et popularis, etsi infra magnitudinem argumenti et autoris.

IV. CONSTANTINO MAGNO Crucem per quietem visam, sunt quae suspicionem iniiciant, sed, quod de visione FABRICIVM vestrum insignem virum iudicare constabit, magnum apud me pondus habebit. (*) Interea gratias ago, quod de praeclaris eius laboribus aliquid me doces, nam ipse de se silet.

V. IRENAEI edita a Cl. PFAFFIO Veneti Ephemeridibus suis inseruere cum propriis notis, non contenti, vt apparet, Pfaffianis.

VI. Optem Tibi commercium cum Caraitis,

vt olim TRIGLANDIO dari, quo magis illustrare res eorum possis, vt alii Samaritanorum. Miratus saepe sum Samaritanos, vt obiter hoc dicam, non vltra librum IOSVAE procedere. (**) Quodsi odio Davidicae stirpis librum RVTH, et libros SAMVELIS Regumq; reiecere, at Iudices ferre poterant, quos tamen non agnoscunt. An forte libri illi, quos ignorant, non ante scissionem tribuum seu regnum Ierobeami nati sunt? Velim nosse quo nunc sint loco res praeclari nostri CROSAEI, cui optime consultum velim. Quid agatur in litteris hic sero discimus, Tua ope per doctissimum WIDOVIVM proficere poterimus. Vale. Dabam Viennae Austriae 28. Iulii 1714.

Hamburgum.

(*) IO. ALB. FABRICII diss. de cruce a CONSTANTINO M. in coelo visa in Volum. VI. Bibliothecae Graecae cap. I. p. 8. seqq.

(**) Forsitan propterea Samaritani vltra librum Iosuae plures libros V. T. pro canonicis non habent, quoniam reliqui post secessionem, quam a Iudaeis fecerunt, demum scripti sunt. Cel. HADRIANVS RELANDVS P. II. dissertat. miscellanearum e Chronico Samaritanorum, quod liber IOSVAE appellatur, excerpta exhibet, atque obseruat, quod in eodem Samaritani ab ipso IOSVA cultum suum in monte Garizim arcessant.

EPI-

EPISTOLA CLXXIV.

AD

SEBASTIANVM KORTHOLTVM,

Id temporis Philosophiae Moralis et Poeseos, nunc etiam Eloquentiae Prof. Kiloniensem.

I. De Seb. Kortholto iudicium. II. De pueris doctis obseruatio.

I. Doleo amissam nunc mihi videndi Tui occasionem, dum domo absum. Litterae ad me serius peruenere, quod Max. Reu. SPENERVS hinc peregre abiisset. Reuersus eas statim ad me misit, atque ipse etiam de Te loquutus est, vt res postulat, doctrinaque Tua, cuius ipsae ad me litterae Tuae insignia vestigia ostendunt. Nil mihi gratius est, quam nosse egregios iuuenes, et, si possim, consilia ipsorum iuuare. Epigrammatis argutis et ingeniosis valde delector, nec dubito talia esse, quae cudisti: etsi libros bonorum Epigrammatum scribere difficile putem.

II. Placet, quod BAILLETO Viro docto supplementa mittis. Pueri singulare aliquid praestantes in studiis, vsque adeo sunt rari. Ego ipse decimum quartum aetatis annum nondum egressus, carmen pentecostale trecentorum versuum Hexametrorum vna die scripsi, qui Magistris non mediocriter probabantur. Mox triuiali schola egressus ante 17mum absolutum

ſingulares in Philoſophia meditationes dedi. Quaeſtiones de iure philoſophicas, de Conditionibus Tractatum, Artem combinatoriam, aliaque nonnulla ante vigeſimum edidi. Credo tamen, a lectore non quaeri, quam cito, ſed quam bene. Vtrumque Te praeſtitiſſe ac praeſtare apparet. Hortor igitur, vt in pulcherrimo ſtadio pergas, et currenti ſecunda omnia precor. Vale. Dabam Berolini 27. Iunii 1700.

EPISTOLA CLXXV.

I. *Leibnitius diſcipulus ſenex.* II. *Noua litteraria.*

I. Pro muneribus litterariis elegantibus multas gratias debeo: praeclare illuſtras Hiſtoriam eruditorum. Ego etſi 17mo aetatis anno quaedam ediderim, et decimo quinto iam compoſuerim; tamen inter ſenes diſcipulos facilius nunc locum tuear, quam olim inter pueros doctos. Nam cum SOCRATE ſemper ad diſcendum paratus ſum. Neſcio annon et faſciculum collegeris των αὐτοδιδακτων.

II. Hodie apud me fuit Cl. NEOCORVS ex Anglia redux; ait, SVIDAM ſuum prelo exiiſſe. Nunc de HESYCHIO cogitat. Vale, et me ama. Dabam Hanou. 11. Iul. 1705.

EPISTOLA CLXXVI.

I. *Leibnitius puer doctus.* II. *De patria Clementis II. Pontificis.* III. *De rebus Marchicis.* IV. *De Scriptoribus quibusdam moralibus iudicia.*

I. Plus ſemel Tibi gratias debeo. Vellem et referre poſſe. Quidquid proſa, quidquid verſa

versa tentas, assurgit vltra vulgus, et acumen, elegantiamque habet. Auide exspecto Tuum de pueris doctis opus. Puto plurimos ignorari, quorum aut non extant scripta, aut parum noscuntur. Ego me ne nunc quidem a doctrina venditare ausim, multo minus pueritiae meae tribuere eruditionis laudem; puer tamen alios commilitones praecurrere credebar in patria. Annos natus tredecim vna die trecentos versus hexametros effudi, sine elisione omnes, quod hoc fieri facile posse forte affirmassem. Caussa festinationis erat, quod alius, cui pensum carminis vigiliis pentecostalibus in schola publica recitandi obtigerat, officio defuisset; Ita ad me ibatur, quem in istis expeditum esse constabat. Mox ab his amoenitatibus venientem non piguit mature tractare Philosophorum spinas, vt puer adhuc de principio indiuidui dissertationem ederem, defenderemque, et quaestiones Philosophicas ex iure collectas, atque in lucem emissas, iam artium Magister, aetate tamen reuera puerili, tuerer. Vt ea non memorem profundiora, quae iam tum in chartam conieci, sed quae lucem non viderunt. Annos non possum adscribere, quia nunc ista inter veterum schedarum molem quaerere non vacat, neque in hoc mustaceo laureolam affecto, etsi creatus Iuris Doctor ante tempus, quo Saxones aetate maiores habentur, id est, ante annum aetatis 21. absolutum, et Consiliarius Electoris Moguntini in Tribunali Reuisionum, antequam iure Romano minor annis esse desiissem, id est, nondum annos natus 25.

II. Credo de vera patria et ſtirpe Clementis II. Pontificis Romani dubitandi amplius locum non eſſe, poſt editum nuper a me excerptum Auctoris vix ſeculo vno remoti, qui gentem eius et locum natalem diſerte exponit, (*) Oſtfalumque ex veteribus Horneburgi dynaſtis fuiſſe oſtendit, qui locus nunc eſt iuris Halberſtadienſis. Itaque celeberrimum Moellervm veſtrum veritati manus daturum auguror.

III. Dn. G. P. Schvlzivs, quem Francofurto (ad Viadrum, an ad Moenum?) ad Te ſcripſiſſe, et de claris Marchicis opus moliri memoras, fortaſſe meum opus non viderat, quum ad Te litteras dedit. De eius perſona et conſiliis plura libenter didicero. Levtingeri Scripta de rebus Marchicis ſparſa et lacera Plarrivs apud Berolinenſes iuuenis doctus collecta reddere prelo cogitabat nuperrime cum notis; ſed quia acerbior auctor in Reformatos olim fuit, inventi ſunt, qui inſtituto intercederent: quaſi non facile fuiſſet notis additis occurrere huic qualicunque malo, quod et Plarrivs facere paratus erat. Vt taceam, longinquitate temporis illam veterem acerbitatem obtundi, et iam vim nocendi omnem amiſiſſe.

IV. Ad elegantem Tuam de Scriptoribus moralibus diſſertationem noto, recte a Te veteribus aſſeri meritas laudes, contra quosdam recentiorum, qui ignota contemnunt. Ceterum, quod ad recentiores attinet, lubens fateor, nec Pvfendorfivm, nec Lockivm mihi valde ſatisfa-

tisfacere, quorum ſcripta legi quidem merentur, et quum exoterica ſint, quandam imperfectam dant tironibus ideam ſcientiae, ſed in intima raro penetrant. Contra res in HOBBIO habet, is tironibus noxius, prouectis perutilis, quum habeat non pauca profunda, ſed multis miſta minime tolerandis. Quamquam habeant et PVFENDORFIVS et LOCKIVS quaedam, contra quae tirones praemuniri oportet. Nam falſiſſima docet PVFENDORFIVS de arbitraria origine veritatum moralium, tanquam a voluntate eſſent, non natura, itemque de fundamento Iuris a lege vel coactione. Et LOCKIVS ideas et veritates inſitas non recte tollit, et de mentis humanae natura tenuiter philoſophatur, quin et ea agit, quae principia euertunt, vnde eius immortalitatem comprobes, dum materiam cogitare poſſe ſuſpicatur. Vt alia taceam a me aliquando rogatu amicorum animaduerſa. SPIRITIVS Gallus libro de falſitate virtutum omnia in peius interpretando, malos, quos fingit, facit. CARTESII etiam de affectibus libellum non uſque adeo ſpernendum putem, et POIRETI iudicio in talibus minime defero. Etſi CARTESIVS magis id egerit in eo libello, vt cauſſas phyſicas explicaret paſſionum, quam vt praecepta morum traderet. Adiectum iis quae communicaſti mecum Tuis carmen ad Te Domini FASCHII, quo Te tuo merito celebrat, admonet me, vt de ſucceſſibus eius quaeram. Praeter alia non ſpernenda in ipſo valet peculiari vſu Manuſcriptorum Codicum ſequioris aeui, lectu

 plerum-

plerumque difficilium. Talis quum nuper mihi obtigerit, nec sit hic ad manum, qui tam promte et recte exscribere possit, nescio an ad opem eius confugere adhuc liceat, idque beneficio Tuo intelligere spero. Vale et faue. Dab. Hanou. 18. Aug. 1707.

(*) Historiam controuersiae de patria CLEMENTIS II. inter WILHELMVM ERNESTVM TENTZELIVM et IO. MOELLERVM agitatae ipse LEIBNITIVS recenset in praefatione Tomo I. Scriptorum rerum Brunsuicensium praefixa f. 2. *

EPISTOLA CLXXVII.

I. *De Clemente Pontifice.* II. *Millio et Opitio.* III. *Roswita atque* IV. *Arndii Polyhistore poetico.*

I. Excursiuncula non nihil responsionem meam tardauit. Nam Serenissimae Electricis comes Guelfebytum profectus sum, inde Cassellas adiui, redux officio meo satisfacio. Non video quomodo Dn. SCHVLZIVS Tuus CLEMENTEM II. Pontificem Romanum Marchicis vindicare possit, si TENTZELII sententiam sequitur, qui eum Halberstadensi tractui mecum adscribit. Halberstadenses enim Marchicis accenseri posse non puto, quamuis eumdem hodie Principem agnoscunt.

II. IOH. MILLIVM Anglum audio suae editioni Noui Testamenti vix septimanis aliquot superuixisse. OPITIVM vestrum spero melius honore et commodo sui laboris fruiturum.

III. ROSWITAE Poëtriae Saxonicae perantiquae carmina a Dn. SCHVRTZFLEISCHIO iuniore prelo reddita videris opinor. Non habuit

buit poëma ineditum eiusdem de fundatione Gandershemensis coenobii, quod in manus meas venit. (*) Notatu dignum est, quod ROSWITAE versus elisionibus carere solent, quod me quoque puerum aliquando in poëmate affectasse nuper ad Te scribere memini.

IV. Polyhistorem poëticum Cl. ARNDII, Prof. Rostochiensis augere poterunt collectiones meae Historicae, quibus inserti poëtae etsi semibarbari, tamen non vulgares nec inutiles ad Historiam: Poëta Saxo de gestis CAROLI M. Anonymus de vita BERENGARII maioris, DONNIZO de vita MATHILDIS, Principis Italicae, Paparum amicae, et GVILIELMVS Apulus de gestis Normannorum in Apulia et Sicilia. Hi omnes primo Tomo extant, multo emendatiores plerique, quam hactenus. Secundus Tomus habebit nouum poëma ROSWITAE, tum aliquot poëmata Historica lingua vetere inferioris Saxoniae ante 300. annos circiter conscripta, omnia nondum edita. Pro communicatione nouorum litterariorum multas gratias ago. Quod superest, vale et faue. Dabam Hanouerae 12. Oct. 1707.

(*) ROSWITAE carmen de primordiis coenobii Gandersheimensis T. II. Scriptorum Brunsuicensium a LEIBNITIO editorum p. 319. deprehenditur.

EPISTOLA CLXXVIII.

I. *De Poetis et Poetarum iudicibus.* II. *De S. H. Musaeo et aliis.* III. *Gallorum peruersa de Germanis iudicia sunt spernenda.* IV. *De meritis Germanorum in rem litterariam et* V. *de Gallicae plebis contra Germanos praeoccupato animo.*

 I. Ele-

I. Elegantibus Tui ingenii, Tuaeque doctrinae speciminibus impense delector, quibus plurimum, vt par est, tribuo; eoque magis, quod hoc genus eruditionis, quo praestas, quodammodo in desuetudinem abire videtur. Certe et Poëtas et bonos Poëtarum iudices vbique iam desideramus. IOS. SCALIGER iudicium LIPSII contra Medeam SENECAE reiiciens, de Poëtis iudicare negat esse, nisi Poëtae, eiusque excellentis.

II. Consultissimi viri SIMONIS HENRICI MVSAEI pro Caesare orationem contra Romanae curiae iniquas recitationes, non tantum doctam et elegantem, sed et fundatam argumentis reperio, et Clarissimi Viri IOH. BVRCARDI MAII programma in Historiam Augustam a CAROLO MAGNO ad nostra tempora deductam, de ipso opere plurimum nos exspectare iubet. Cl. RENFERDVS EVSEBIVM et HIERONYMVM male habitos questus, credo Chronicon Eusebianum intelligit, quod HIERONYMVS latinum fecit. Eius alicubi exemplaria Manuscripta habere non dubito, et in Caesarea in primis Bibliotheca. Puto etiam, Guelfebyti esse Codicem PROSPERI, qui continuauit.

III. Homines Galli, qui Germanos spernunt, non refutandi, meo iudicio, sed contemtu ineptiarum suarum admonendi sunt. Itaque si me audisset CRAMERVS, vir eximius, stultum BOVHVRSII iudicium, a iuuene olim profectum, pene viginti post annos non resodisset, aut refutationis honore dignatus fuisset, quum et alius Gallus, Vir grauis, libello, cui titu-

titulus: Sentiments de Cleanthe sur les Entretiens d'Ariste et d'Eugene, statim Germanorum causam egisset. Audaculus ille et in COCCEIVM, patria Bremensem, iniquus, quem memoras, nescit ab antiquis temporibus celebratum fuisse Saxonum ingenium. Id ex SIDONIO APOLLINARI (*) et ex anonymo Rauennate (**) disci potest, quorum loca sunt inter Excerpta Scriptorum Brunsuicensia illustrantium. Memini etiam locum HINCMARI observare, qui de nescio quo, religionis capite cum Episcopo Saxone contulerat, nec dissimulat, Saxonem velocitate quadam ingenii, propria suae genti, plurimum sibi negotii fecisse. Quantus tamen fuerit HINCMARVS, nemo nescit. Suspicor, Saxonem Episcopum fuisse ALTFRIDVM Hildeshemensem. (***)

IV. Interea, dissimulatis inuidorum calumniis, merita Germanorum in rem litterariam referri in litteras, operae pretium foret; sine contemtu aliorum aut inuidiosis comparationibus. Stet sua cuique laus, certemusque, vt currentes in stadio, quos sibi mutuo iniurios esse, aut remoras obiicere fas non est. Egregium aliquid in eo genere haud dubie MORHOFIVS praestiturus erat,

Si fata, Deusque sinebant.

Nunc ab alio excipi lampada velim, nec dubitem, a Te, Vir egregie, aliquid praeclarum in eo quoque genere datum iri, si animum eo vertas.

V. Gallicae plebis contra Germanos praeoccupatus animus potissimum ex vitiis et ineptiis

Ger-

Germanorum adolescentum ortum habet, qui ridiculo parentum consilio crudi a schola, expertesque omnis boni moris in Galliam ablegantur, vbi iterum in pueritiam vel infantiam, vnde vix exiere, reuoluuntur. Propemodum enim infans est, qui fari nescit. Ita vel silere coguntur, vel sermone suo risum excitant. Praeterea ab hominibus lucri cupidis variis artibus circumueniuntur. Tales sunt, de quibus Gallica prouerbia innotuere: veluti, querelles d'Allemand, et vous me prenés pour un Allemand. Quid enim ab imperitis iuuenibus, iisque in alienam gentem, tamquam in nouum orbem, subito delatis graue aut rectum expectes? Quod superest, vale et faue. Dabam Hanou. 30. Sept. 1708.

(*) SIDONIVS APOLLINARIS lib. VIII. ep. 6. *Saxonum*, inquit, *quot remiges videris, totidem te cernere putes archipiratas, ita simul omnes imperant, parent, docent, discunt latrocinari.*

(**) Chorographus Rauennas lib. IV. cap. 13. *Iterum*, inquit, *iuxta ipsos Serdefennos Lappones litus oceani est patria, quae dicitur Dania, quae patria, vt ait supra scriptus* EITHANARIDVS *et* ELDEWALDVS *et* MARCOMIRVS *Gotborum philosophus supra omnes nationes velocissimos profert homines.*

(***) HINCMARVS Rhemensis in epistola ad LVDOVICVM Germaniae Regem n. VIII. Tom poster. Oper. ed. Paris. 1645. p. 152. *Interrogastis*, inquit, *quid sibi vellet, quod in Psalmo canitur; Herodii domus dux est eorum: Ad quae praeoccupans vocem meam, vt Saxo genere ac per hoc naturalis prudentiae suatim me paratior in sermone* ALTFRIDVS *venerandus Episcopus dixit, &c.*

EPISTO-

EISTOLA CLXXIX.

Leibnitius Buschii MSc. de Reformatione monasteriorum ex Academica Kiloniensi Bibliotheca mutuum expetit.

Qui ob docta Tua et elegantia dono missa gratias debeo, atque etiam nunc ago, cogor nouum à Te beneficium petere. Intellexi in Bibliotheca publica Academiae vestrae extare manuscriptum libellum in 4ta forma, quem composuit quidam Frater IOH. BVSCH ex Canonicis regularibus S. Augustini, vt vulgo vocantur, in quo plurium Monasteriorum Germaniae, sed Saxoniae maxime reformationes, seu ad ordinis sui obseruationem reuocationes describuntur: fuitque ipse BVSCHIVS pars magna huius negotii, et floruit circa tempora concilii Basileensis. Hoc Manuscriptum rogo, vt mihi in septimanas aliquot ab inclytae Vestrae Academiae Senatu impetres, speroque Amplissimum REYHERVM pro fauore erga me suo Tibi adiutorem fore. Quod si petitum obtines, etiam atque etiam oro, vt quam primum per vecturam publicam ordinariam mittas.(*) Id beneficium, quo potero officii genere demereri conabor. Interea vale et faue. Dabam Hanou. 25. Iul. 1709.

P. S. Si dispersi sunt Gudiani codices, non mediocriter huic iacturae indolebo.

(*) IO. BVSCHII Commentarium de Reformatione monasteriorum quorundam Saxonum LEIBNITIVS e MSc. Bibliothecae Acad. Kiloniensis edidit et T. II. scriptorum Brunsuicensium a se editorum inseri curauit.

EPISTO-

EPISTOLA CLXXX.

I. *De Buschii MSc.* II. *De Reyheri obseruat.* III. *De Pufendorfii naeuis.* IV. *Aliquod Leibnitii epigramma.* V. *De Marquardo Gudio.*

I. Veniam peto, quod tardius respondere cogor; nam liber BVSCHII, me Brunsuigam cum Serenissima Electrice digresso, aduenit, porro et illic et Guelfebyti non nihil morae traxi. Reuersus officio satisfacio, et ante omnia gratias ago, quod desiderio meo tam exporrecta humanitate es obsequutus. Curabitur, vt liber ad Vos saluus et in tempore redeat.

II. Amplissimo REYHERO scripsi, quum Tibi. Vellem omnia egregii viri vno fasce collecta extare, et ipsum non negare publico et posteritati, quae adhuc praeclara haud dubie habet inuenta sane multa in omni doctrinae genere, sed praesertim in Mathesi. Sententiam eius de iure naturae discere velim.

III. Nuper doctissimus BOEHMERVS, Politices et Eloquentiae Prof. Helmstadiensis epistolam meam ad summe Reu. Virum GERARDVM MOLANVM, Abbatem Luccensem, auunculum suum edidit, in qua rogatus sententiam de libro PVFENDORFII dixi, quem is de Officiis inscribit. Illic satis ostendi, parum mihi probari plurima, in quibus PVFENDORFIVS a GROTIO discessit.

IV. Quum nuper Guelfebyti essem, columba musaeum Principis Blanckenburgiaci (patris Reginae Hispaniarum) ingressa, in globo ter-

terreſtri bina loca pede notauerat; id quum iocatus Sereniſſimus Dux ANTONIVS VLRICVS verſuum materiam praebere dixiſſet, tale Epigramma mox dedi:

Augurium columbae, Aug. 1709.

Blanckenburgiaci muſeo in Principis, Orbem
Signat oliuifero laeta columba pede.
Hinc Scythia in campis, illinc Atlantis in vndis.
Scilicet et Natas vtraque regna colent.

V. Gaudeo Gudiana pleraque nondum diſtracta eſſe: aegerrime tali diſſipari, quae tantus Vir tanto ſtudio congregauit. Coram aliquando colloquio eius per aliquot dies vſus ſum. Aderat et GRAEVIVS; facile intelliges, quanta voluptate me perfuderit tam inſignium virorum conſuetudo. Vereor, ne multa plane diſparuerint, quorum ille ad me meminit, et quorum in Catalogo veſtigia non deprehendi. Vtinam nouus inſcriptionum Theſaurus, quem Batauì parant, nobis conſeruet, quae vir ſummus in hanc rem obſeruarat, notaratque. (*) Erant pleraeque eius notationes non tantum eruditae, ſed et ingenioſae. Dolendum eſt, viuum et ſuae gloriae et patriae defuiſſe, nimia edendi moroſitate. Ex eius perſona diceres: inopem me copia fecit. Optem diſcere, quaenam ex Manuſcriptis viri codicibus diſtracta ſint, et ad quos peruenerint. Quod ſupereſt, vale et faue. Dabam Hanouerae. 6. Sept. 1709.

P. S. Iam aliquoties a rumoribus occiſus ſum, neque id tam aegre fero, quam MAGLIABECHIVS meus, qui queſtus eſt de hominum ma-

maleuolentia, quibus nimis diu viuere videatur. Ego omen in contrarium verto, Tuisque bonis verbis gratias ago.

(*) Conf. Epist. CLX.

EPISTOLA CLXXXI.

I. *Reyberus et alii laudantur.* II. *De Gudianis MSc.* III. *De vsu Poeseos in re morali.* IV. *Noua litteraria.*

I. Nuperas meas acceperis, quibus Manuscriptum redditum significaui, et pro transmissione gratias egi. Curabitur sedulo, vt mature, et quale venit, ad vos redeat. Rogaui etiam, si bene memini, vt Amplissimo REYHERO salutem a me diceres, cuius ego Viri omnia magnifacio, haberique et conseruari velim. Elegantia sunt, quae doctissimi Viri MVSAEVS, WALDSCHMIDIVS, aliique apud Vos producunt in lucem, et illa sigillatim, quae mecum communicasti. Nunc scribendi caussam suppeditauit Amplissimus ANCILLONIVS, Consiliarius Legationum Regius, et Gallicae nationis per Regis Borussiae ditiones diffusae Iudex superior. Ei, quum excerpta epistolae Tuae communicassem, rescripsit, quae adiuncta vides. Vnde intelliges, non tantum ab omni consilio offendendi Tui alienum fuisse, sed etiam occasione data effecturum, vt, quanti Te faciat, intelligas. Litterarum partem faciunt, quae mitto, quas, quum ad res Societatis Regiae Scientiarum pertineant, conseruare debeo, ideo, vt hanc partem remittas, peto.

P. S.

P. S. His ſcriptis Tuas gratiſſimas cum adiunctis accipio, multasque gratias ago. Elegans profecto Elegia eſt, quam Dn. KRVSIKE Tibi dicauit. Ampliſſimi REYHERI omnia aliquid docent.

II. Quantum intelligo, ipſi Manuſcripti Gudiani adhuc ſalui ſunt, venditique tantum libri, qui editi, ſed cum Manuſcriptis collati, ac ne hi quidem omnes. Optarim omnes Codices manuſcriptos vni Bibliothecae inferri, nec in plures diſpergi, et aliquando de Auguſta Guelfebytana cogitaui, modo nec pretium ſtatuatur, quod emtorem deterreat.

III. Gratiſſima Tua erit de Poëſeos vſu in re morali diſſertatio. Certiſſimum eſt, nihil magis mouere animos, quam elegans carmen, vt pene tantum a communi ſermone diſtare videatur, quantum lingua Angelorum, Paulo Apoſtolo memorata, a noſtra.

IV. Audiueram BREITHAVPTIVM id agere, vt retineat profeſſionem Theologicam, vna cum Abbatia: an impetrarit, haud ſcio. LANGIVM Berolino Hallas deſtinatum aiebant. A Domino CAROLO ARNDIO, viro docto, nil vulgare expecto. Interea multos hodie libellos de re litteraria prodire video, vbi iudicia interpoſita, nolim facere mea. Epiſtola mea ad amicum, qua rogatus de Pufendorfianis iuris naturae elementis ſententiam dixi, fortaſſe non placebit omnibus, gaudeo tamen, quod Tibi non diſpliceat. Quod ſupereſt, vale et faue. Dabam Hanouerae 25. Octobr. 1709.

EPISTOLA CLXXXII.

I. *De Gudii MSc.* II. *De Krüsikenio.*

I. Multis distractionibus factum est, vt nondum nouissimis Tuis responderim. Id dum nunc facio, quum in primo adhuc anni noui mense versemur, initia eius auspicata Tibi apprecor, vt feliciter cum aliis multis decurrat, quo plurimum prodesse reipublicae possis. Gaudeo, adhuc superesse manuscriptos Codices MARQVARDI GVDII, summi viri, nec venditione sub hasta dissipatos esse. Nec desperem, inuentum iri, qui aequum pretium persoluat; Quamquam tria Philippeorum millia difficulter impetrari posse arbitrer. Ego certe operam dabo oblata occasione, vt quantum in me est conferam, ne thesaurus ille per dissipationem pereat.

II. Doctissimo KRVSIKENIO, si aliqua ratione commodare possim, faciam lubens. Est iuuenis honestus et officiosus, qui petiit commendari; is omnium bonorum fauorem meretur; itaque si qua in re commodare illi poteris, me quoque beneficio afficies. Is has Tibi litteras reddet. Quod superest, vale et faue. Dabam Hanou. 24. Ianuarii 1710.

EPISTOLA CLXXXIII.

I. *Buschii MSc. remittit.* II. *Noua litteraria.*

I. Nuperrimas meas recte ad Te delatas spero. Nunc vtor commoditate iuuenis docti

docti Wratislauiensis Domini M. SCHVRTZMANNI, qui Lipsia veniens Hamburgum primum inde ad Vos proficiscitur. Putaui, me rectissime facturum, si BVSCHII Vestri Codicem MSc. quo satis ex sententia vsus sum, ipsi potius crederem, qui recta ad vos proficiscitur, quam non necessaria cura Dn. KIRCHOVIVM amicum Tuum onerarem. Multas interim gratias et Tibi ago, et per Te agi illis velim, quorum indulgentia in commodando Codice benignitati Tuae accessit.

II. Nuntiauit mihi Dn. SCHVRTZMANNVS celeberrimi viri Dni. THOMAE ITTIGII mortem, amici veteris inde a schola, addiditque, cogitari de Bibliotheca eius ad Paulinam adiungenda, quod valde vellem. Ex Gallia ad me scripsit R. P. LONGVS, auctor libri de Editionibus Scripturae Sacrae, nuper Lipsiae recusi, vrgeri a se opus Bibliothecae Scripturariae, sed et de auctoribus Historiae Francicae opusculum se meditari. Quod superest, vale et me ama. Dabam Hanouerae 17. April. 1710.

EPISTOLA CLXXXIV.

I. *De Gudianis MSc.* II. *De Reybero et* III. *de Scanica catastrophe.*

I. BVSCHIVS vester vltra paucas septimanas ad Vos redibit, quod ante omnia dicendum visum est. Gudianos manuscriptos Codices non dispergi, sed in vnius corporis compage

conſeruare memoriam illuſtris Collectoris valde velim. Optarim inferri Auguſtae Bibliothecae Guelfebytanae, ſed Sereniſſimus Dux abeſt domo, et vbi redierit, captanda erit commoda occaſio, et molle fandi tempus in hac generali aſperis temporibus rei nummariae difficultate. Nam alioqui Principem intelligentem, imo doctum ſcio expetere, quibus Theſaurum a Parente egregie collectum ornet amplificetque.

II. Ampliſſimum Reyherum ea aetate variolis laboraſſe, inter Medicorum Obſeruationes referri meretur. Gaudeo ſuperaſſe, et reiuueneſcendi augurium inde praebitum velim.

III. Spero Scanicam Cataſtrophen, etſi iis triſtem, ad quos pertinet clades, id commodi allaturam publico, vt Suedi intra Pomeraniam ſuam quieſcant, neque, vti inſtituerant, expeditione in Cimbriam ſuſcepta turbandis Germaniae rebus operam nauent. Nunc enim illis expeditionis ratio ceſſat, quam hanc proferebant, vt Danos ex Scania domum reuocarent. Illuſtris et vere magni Wedderkopfii fato indolui. Fortuna illi non coeca fauit, fabrumque ſuum coluit; poſtremo caſu ſpero magis admonitum, quam afflictum iri. Quod ſupereſt, vale et faue. Dabam Hanouerae 15. April. 1710.

EPISTOLA CLXXXV.

I. *De Gudii MSc.* II. *Encyclopaedia ſcientiarum verſibus conſcribenda, et* III. *Poetis latinis.*

I. Neceſſario differenda reſponſio fuit, donec cum Sereniſſimo Duce Guelfebytano colloqui daretur: facile enim iudicas, aegre talia per litteras agi. Nunc ergo licuit ad aulam eius excurrere et prolixe cum eo agere de Gvdianis Manuſcriptis. Dixi, quod res eſt, et quod ad eorum commendationem dicendum erat, atque ita perpuli, vt propemodum res ſit confecta. Ipſe Dux aſſentitur conſilio meo, et cum aerarii ſui Directore aget, quo tandem certi aliquid concludatur. Director ipſe, quum ſit inſignis Fautor ſtudiorum, non deerit voto meo, vt ſpero, ſed quum in aliquot dies abſit, exſpectandus eſt eius reditus, vt negotium conſtitui, concludique poſſit. Haec tamen interim ſignificanda putaui, vt videas a me non negligi cauſſam litterarum, nec commendationem Tuam. Catalogum MSctorum oſtendi Sereniſſimo Duci eum, qui adiunctus eſt catalogo impreſſorum, et ſpero ab iis non differre, quos memoras indices poſtea editos, ipſosque libros omnes affore, qui in eo memorantur.

II. Gaudeo Bibliothecam EHRENKRONIANAM ſane inſignem Tibi patere, quamquam enim tute iam habeas multa, quibus de re litteraria bene mereri poſſis, multum tamen ad ornanda praeclara inſtituta facit copia inſigni-

um librorum. Saepe cogitaui, Encyclopaediam quasi quandam confici posse ex Poetis, et plerasque scientias, aut certe potissimas earum partes, versibus egregiis explicatas haberi. Ea de re aliquando a Te per otium cogitari optem.

III. Latinorum Poetarum bonorum numerus mire contrahitur hodie, et in paucissimos recidit. Putem ad Te peruenisse carmen, quod ante annos aliquot WERLOVIVS ICtus Helmstadiensis insignis in Guelficae Principis matrimonium Hispanicum edidit, quod certe meretur legi. PETERSENIVS etiam Theologus carmine latino valet. Quod superest, vale et faue. Dabam Guelfebyti. 2. Iunii 1710.

EPISTOLA CLXXXVI.

De Gudianis MSc.

Paucis tabellario abituriente significo rem transactam esse, et Serenissim. Ducem Brunsuicensem, qua est in bonas litteras propensione, in mandatis dedisse, vt pecunia constituta tradenti manuscripta Gudiana, ad indicis praescriptum, exsoluatur. Conferens indicem posteriorem, pristino Bibliothecae integrae catalogum editum claudente, passim quaedam deesse video, quae non puto distracta, sed tantum disiecta, neque enim, nisi quae in calce sunt, hastae subiecta fuere. Ea repertum iri, credo, quod si tamen constaret alienata fuisse, contractus executionem non morabuntur; idem est, si bona fide quaesita reperiri non possint.

Con-

Conſultiſſimum erit, libros Hamburgum transferri, atque ibi traditionem fieri, etſi ſumtum transuectionis in nos recipiamus. Si tamen malit Dn. DE GVDE in praedio ſuo conſignationem fieri, neque id defugiemus. Noſter mandatarius apud Dn. KIRCHOVIVM amicum Tuum inquiret, ibique, quid placuerit, intelliget. Quod ſupereſt, vale et faue. Dabam Guelfebyti 24. Iunii 1710.

EPISTOLA CLXXXVII.

I. *De Rantzouiis.* II. *Krüſikenio.* III. *Simonis Henr. Muſaei de iure Mutinenſium controuerſiis.* IV. *Io. Alb. Fabricio atque* V. *Gudii iconibus atque marmoribus.*

I. Gratiſſimae Tuae non vnae mihi redditae ſunt. Gaudeo, Te mei meminiſſe tam beneuole, et Dnn. Collegarum Tuorum, virorum inſignium, fauorem mihi vel conciliare, vel conſeruare. Mihi dolet, quod diutius apud vos haerere non licuit, eorumque perinde ac Tua beneuolentia frui, cuius, quantum par eſt, pretium ſtatuo. Illuſtriſſimae gentis RANTZOVIAE cultorem me ſemper profeſſus ſum, quod vt egregii fratres, quorum meminiſti, occaſione data, intelligant, peto.

II. Velim occaſionem et mihi dari inſeruiendi doctiſſimo KRVSIKENIO, cui graecae litteraturae vlteriorem cultum eo commendaui libentius, quo rariores nunc ſunt in Germania, qui in hoc genere aliquid non vulgare praeſtare poſſint.

III. Rogo, vt Amplissimo ICto vestro Dn. S. H. Mvsaeo salutem officiosam a me reddas, eique significes, ignotum mihi Dn. Ioh. Iac. Fovivm, cuius litteras Mutinae datas accepit. Commercium est mihi cum celeberrimo viro Antonio Mvratorio, qui ducali Archiuo, Bibliothecaeque praeest, et ante paucos annos aliquot insignia antiquitatis monumenta ex Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi edidit in lucem: idem in tuendis iuribus Serenissimi Ducis sui egregie laborat. Caesar Atestinus Mutinae Dux, Alphonsi II, cui successit, non filius, sed consobrinus fuit, auumque Hercvlem II. habuit, Patrem Alphonsvm, Hercvlis II. filium, subsequente matrimonio cum Domina Lavra legitimatum; matrimonium autem verum fuisse, et Lavram etiam mortuo marito pro Ducissa a priuigno cultam, satis ab Atestinis Scriptoribus comprobatum est.

IV. Fabricivm Hamburgo discessurum esse ignorabam, nec dum scio, quem in locum sit digressurus: modo ne Germaniam deserat, contentus ero; quamquam mallem, Hamburgenses insignem virum retinere, lautasque ei conditiones offerre, ne tale vrbis suae ornamentum amittant.

V. Gvdivm, nobilissimum virum, accepisse spero nummum aureum insignem Serenissimi Ducis Brunsuicensis iussu missum; id agente me ex condicto, vt pro iconibus et marmoribus redhostimentum haberet. Si peruenisset ad me Catalogus Morhofianae Bibliothecae haud

haud dubie inde quaedam redemissem, nunc vereor, ne serius nanciscar. Gratissimum erit videre Tuae Encyclopaediae poeticae initia in re morali. Quod superest, vale et faue. Dabam Guelfebyti 14. Octobr. 1710.

EPISTOLA CLXXXVIII.

I. *Icon Marquardi Gudii.* II. *Professorum Kiloniensium elogium.* III. *De Musaei de iure Mutinensium cum Italis controuersia.* IV. *De Academia equestri Berolinensi.*

I. Gudianas et ipse litteras accepi, indices perlati numismatis aurei; itaque gaudeo, hanc rem confectam, in qua Tibi plurimum litterae debent, Tuo enim interuentu, Tua suggestione negotium non perfectum tantum, sed et coeptum est. Icon summi viri MARQVARDI GVDII etiam Sereniss. Duci grata erit.

II. Dn. WAGNERVS nuper apud me fuit, Tuamque et Collegarum Tuorum, insignium virorum, humanitatem, doctrinamque plurimum laudauit gratus. His, quibus notus sum, commentari me peto, et egregiis viris MVSAEO et MAIO gratias pro salutatione a me reddi, sed magis etiam pro praeclaris doctrinae monumentis.

III. Gaudeo, quod Italis etiam visus est dignus Amplissimus MVSAEVS, qui de iure Mutinensium accuratius edoceretur. Nuper ex Illustrissimo Marchione Bergomo quaesiui ipsemet (nam aliunde scribendi occasio fuit) quis esset ille FOVIVS, qui litteras dedit.

IV. Academia Berolinensis equestris praefectum habet virum insignem Dn. de STAF, mihique amicum, qui multiplici doctrinae ornatu instructus est, Historiam, Genealogias, rem Heraldicam, Mathesin practicam, rem militarem nouit; olim Principibus iuuentutis Hassiacae Cassellis praefuit. Huius inspectioni iuuenes nobiles recte committi minime dubito, et sunt Professores non spernendi, qui eos discenda docent in omni genere institutionis. Quod superest, vale et me ama. Dabam Hanouerae 10. Nou. 1710.

EPISTOLA CLXXXIX.

I. *De Grotii epistolis ineditis.* II. *Leibnitius noua litteraria Galliae desiderat.*

I. Gratissimas Tuas recepi, et vota votis reddens precor, vt Deus Tibi in anno nouo multorum aliorum seriem felicem aperiat. BENTZELIVS, Bibliothecarius Vpsaliensis, vir doctus, subinde ad me scribit. Fratrem eius gaudeo Epistolas GROTII nondum editas emissurum esse. Pater eorum Archi-Episcopus Vpsaliensis fuit.

II. Gratias ago pro nouis litterariis ex Gallia, quae nobis rara sunt hodie, quia pauci Nostratium in Gallia versantur. Si daretur Dn. Fratri Tuo occasio, HVETIVM summum virum a me salutandi, mihi rem gratissimam facturus esset. Nosse vellem, quo loco sit Historia Regis, quam Dn. BEVILAQVA (BOILEAV) cum aliquot aliis insignibus viris conscripsit. Discere

re etiam velim, an totus Mercurius Gallant vt ſic dicam, vulgo Mercure Galant a DEVISAEO nuper extincto a multis annis compoſitus, tolerabili pretio haberi poſſit, et quanti? item a quanto tempore haberi poſſit la Gazette de Paris, tam ordinariorum, quam extraordinariorum, vtrum ſcilicet tolerabili pretio, et quanti? Ego puto me eam collectionem habere circiter vſque ad annum dom. 1684. vel paulo vltra; et reliqua redimerem, ſi commodo pretio haberi poſſent. Itaque rogare Dn. fratrem Tuum per Te audeo, vt ea in re fauere velit, et inquirere. Poſſet litteras mihi aut Tibi deſtinatas deferre ad R. P. LE LONG, Bibliothecarium Oratorii, cui litterarium mecum commercium eſt. Idem me obſtringet, ſi de viris apud Pariſinos eruditis quaedam docebit, et quaeret nobis aliquem, cuius etiam in poſterum commercio ſubinde diſcere liceat ἀνέκδοτα litteraria vel alia non vulgaria de Studiis eruditorum gentis; nam mei amici ſolemnes nimis in ſcribendo circumſpecti ſunt. Ego autem noua litteraria tantum, non vero ad rem publicam pertinentia expeto; itaque tanta circumſpectione opus non eſſet. Noſſe praeſertim vellem, quae ſubinde gerantur in Academia Scientiarum Regia, et quae non ſemper in Hiſtoria Academiae aut Miſcellaneis inſeruntur. FONTENELLVS enim ſupprimit liticulas, controuerſiolasque, aliaque id genus, ſaepe digna ſciri. Olim in Gallia multa exigua ſcripta in rebus mathematicis, phyſicis, philoſophicis edebantur apud IOH. CVSSON, qui tunc erat Biblio-

bliopola Diarii eruditorum. Multum me obstrinxerit Dn. frater Tuus, si inquireret, annon bona pars huiusmodi libellorum, qui fere sparsi pereunt, inueniri et in vsum meum redimi possit? Vides, me vti oblata occasione fauore Tuo, et parem a Dn. fratre Tuo beneuolentiam sperare, quam demereri posse velim. Gratias Amplissimo MVSAEO agi peto, quod mihi fauere pergit. Nouum prodiit opus Mutinae in caussa Comachensi, italico itidem sermone, quo Papalitiorum nouissima contraria scripta refutantur. Vale et faue. Dabam Guelfebyti 9. Ianuarii 1711.

EPISTOLA CXC.

De Reyhero et Schelhammero.

Spero, Te optime valere cum amicis optimis REYHERO et SCHELHAMMERO, a quibus adhuc praeclara exspecto, optemque illum inuentorum indicem, Weigeliano more, hunc suas verae Medicinae institutiones pene ignotas nobis dare. Ego, quum Berolinum hac hyeme excurrissem, crure ex casu vulnerato nonnihil laboraui, nunc tamen restitutus diuina gratia in eo sum, vt mox hinc discedam, postquam id studui, vt Societas Regia magis magisque ad res bene gerendas animaretur. Quod superest, vale et faue. Dabam Berolini. 4. Mart. 1711.

EPI-

EPISTOLA CXCI.

I. *Morbo laborauit Leibnitius.* II. *Cum Grimareto litterarum habet commercium.* III. *De vita mortuorum ex sententia veterum paganorum.* IV. *De Reyheri inuentis.* V. *Kortholtum de obitu coniugis consolatur.*

I. Ab aliquot mensibus non optima valetudine vsus sum, nam et cruris vulnus diu curationi refractarium aegre sanaui, et arthriticos assultus sum passus; mediocri quidem dolore, sed non mediocri incommodo, quod satis libere agere non possem. Nunc melius me habeo, et meliora spero.

II. Grimaretus Gallus, quem Dominus frater Tuus mihi ad litterarum commercia suppeditauit, scripsit ad me litteras, bonae frugis plenas.

III. Elegans est materia, et Te digna, de vita mortuorum ex sententia veterum ethnicorum. Tolandus Anglus alicubi persuadere nobis voluit, immortalitatem animae fuisse Aegyptiorum inuentum, (*) sed vetustissimos Graecos idem sensisse manifestum est. Celtarum Druides idem sensisse, Lucanus testatur, et in ipsa America populi Virginiae credunt, animas defunctorum trans ingens montium iugum habitare, denique antiquissima est Indorum sententia de migratione animalium.

IV. Reyherus Vester, vir egregius, misit tandem ad me inuentorum catalogum, in quo multa sunt optimae frugis. Vellem ederet addita explicatione.

V. Elegans est Epigramma Tuum in amici vi-

viduitatem, quo Tuum dolorem ita pingis, ex coniuge amiſſa, vt in affectus ſocietatem alios rapias. Velim tamen ſequentis verſus memineris:

> Ne nimium luge, lugendi cauſſa futurus;
> Eſt fateor iuſtus, ſed nocet iſte dolor.

Quod ſupereſt, vale et faue. Dabam Hanou. 22. Mart. 1711.

(*) Hanc ipſam peruerſam de immortalitate animae ſententiam IO. TOLANDVS propugnat in libro, cuius index: *Letters to Serena*, in quibus ſecunda epiſtola hiſtoriam doctrinae de immortalitate animae inter gentes complectitur. B. IO. FRANC. BVDDEVS, *in theſibus de Atheismo et ſuperſtitione* TOLANDI de immortalitate animae obſeruationes ſub examen vocauit. conf. ven. IO. LAVR. MOSHEMIVS in Commentatione de vita, fatis et ſcriptis TOLANDI p. 143. ſeq.

EPISTOLA CXCII.

I. *De Reyheri catena fortificatoria.* II. *De MSc. Guidonis et Hermanni Zoeſt.* III. *De feſto Juel.* IV. *De Croſii dialogis.* V. *De Eccardi ſcripto Genealogico.* VI. *Leibnitii epiſtola ad Abbatem Gerardum Molanum.*

I. Valde venia opus habeo, qui aliquot litteris Tuis humaniſſimis et eruditiſſimis nondum reſpondi. Fui vero diſtractus admodum, nec ſatis commoda valetudine vſus, ſed cum ea nunc ſic ſatis in gratiam, Dei beneficio, redii; nundinas etiam Brunſuicenſes adii. Dolorem tuum refricare nolo, et ſolatium efficax opto. Tibi, ac doctiſſimo Dn. fratri Tuo IOELI IOANNI KORTHOLTO obſtrictus ſum, quod res nouas Pariſiis et in Belgio nuntiatas me-

mecum communes esse voluistis, idque demereri velim. Ecce quid in mentem venerit; confecit vir eximius SAM. REYHERVS instrumentum quoddam Architecturae militaris, quod appellat: Fortifications-Kette, constat ex partibus mobilibus seu plicatilibus, et varia polygona exhibere potest. Id vellem mihi parari, quam primum commode fieri poterit, et libens pretium exsoluam. Facilius autem apud vos parabitur ab artifice, qui vel tale iam confecit, vel saltem iam confectum ante oculos habere potest. Obstringes me non mediocriter, si hoc mihi procuraueris; nam visum est perelegans. Inuentor vir humanissimus, quem officiosissime a me salutari peto, facile hoc indulgebit. Princeps noster puellus nondum quidem studiis maturus est, vbi vero nonnihil adhuc adoleuerit, proderunt ipsi praeclara inuenta Reyheriana, quae tunc etiam commendare, Deo volente, non negligam.

II. Manuscripta, quae memoras, GVIDONIS, Episcopi Elnensis de Haeresibus; et HERMANNI ZOEST de monasterio, de ecclesiastica potestate, videntur esse non spernenda.

III. Gaudeo, doctissimum virum, OTTONEM SPERLINGIVM, adhuc studiorum laboribus parem esse, et opus contra PEZRONIVM moliri. Iuel festum a Wheel id est solis reuersione, seu rota dictum, id est, solstitio hyberno, iam BEDA notauit. Non dubito, quin eadem sit Sperlingiana originatio, quam in libello eius argumenti dedit.

IV. Videris Dialogos, quibus La CROSIVS

Gallus,

Gallus, vir doctus, et inter Bibliothecarios Berolinenses cooptatus, BANAGII Historiam iudaicam vellicauit.

V. ECCARDVS meus libellum elegantem edidit, quo ostendit, Czarouicium ex maioribus Brunsuicensium, et vicissim, sponsam eius ex maioribus Czaris oriri.

VI. Epistola mea ad Abbatem MOLANVM de Pufendorfiano officiorum opere, quam Dn. BOHMERVS Helmstadii suo cuidam Programmati inseruit, et quam aliquando desiderare videbaris, inserta est nuper vni ex menstruis libellis litterariis, qui Lipsiae germanico sermone prodeunt titulo: Bücher-Saal. Quod superest, vale et faue. Dabam Hanouerae 8. Sept. 1711.

EPISTOLA CXCIII.

I. *De Schelhammeri institutionibus medicis.* II. *De Stahlii dogmatibus.*

I. Dum schedas meas recognosco, video, me debere responsum clarissimo Dn. fratri Tuo, qui Parisiis ad me scripserat. Hanc negligentia notam vt eluam, has ad eum do litteras, quas vt cures, peto. Ego Torgauiae nuper non tam solemnia nuptiarum, quam ipsum Magnum Czarem spectabilem reperi. Insignis viri SCHELHAMMERI nostri χαριεστάτε institutiones medicas vrgeri opto. Vnus mihi videbitur esse ex paucissimis, qui hodie veterum doctrinam nouorum inuentis recte coniunxerit, et de vtrisque, vt par est, iudicet.

Vbi

Vbi absoluerit opus, bibliopolam spondere ausim. Velim SENNERTI exemplo sese diffundat nonnihil, et sententias celebriores examinet; ita nouum in ipso SENNERTVM habebimus, priore illo, etsi magno viro, longe praestantiorem.

II. Nosse velim, quid de Cl. Medici STAHLII nouis, et ni fallor, superbis nonnihil dogmatibus sentiat, quamquam ille paullo perplexius scribat, et de aliis audacius iudicet, et non raro laudanda spernat; videtur tamen aliquid boni habere, inprimis tunc, quum pressius adhaeret Obseruationibus. De cetero videtur ad Archaeum Helmontianum inclinare, etsi aliis verbis. Quod superest, vale et faue. Dabam Hanouerae 8. Decembr. 1711.

EPISTOLA CXCIV.

I. *Leibnitii epigramma in Gudium, Spanhemium et Meibomium.* II. *De vita mortuorum.*

I. Icon Gudiana Serenissimo Duci perplacuit, collocabiturque in Bibliotheca, quam Gudiani Codices tantopere auxere. De inscriptione dispicietur. Ecce Epigramma meum vetus non in ipsum tantum, sed et in binos amicos eius.

Quum GVDIVS Romae, simul et SPANHEMIVS essent,
MEIBOMII et pariter tertius iret honor;
Teutonas vrbs princeps tres tempore vidit vt vno,
Vidit, et indignans talia dicta dedit:

Abſtulit imperium nobis, Martemque parentem,
Cumque Aquilis ipſum natio veſtra Iouem.
Iamque Palatinus tantum reſtabat Apollo,
Vos rapitis: ſemper Celtica praeda ſumus.

II. Praeclarum eſt argumentum de vita mortuorum, et Te tractaturo dignum; vtile inprimis, vt oſtendatur, doctrinam de immortalitate animarum vetuſtiſſimam eſſe. TOLANDVS Anglus, quaedam, ni fallor, verba DIODORI SICVLI producens, voluit eſſe inuentum Aegyptiorum, et nuper Angli quidam alii ridicule dixere, athanaſiam animae naturalem eſſe dogma, ethnico potius quam chriſtiano dignum. (*) Antiquiſſimi Indi, etſi errarint, metempſychoſi introducta, recte tamen agnouere, animas naturaliter perire non poſſe. Mea ſententia eſt, omnes animas eſſe indeſtructibiles, quum ſint incorporeae, et partium expertes, verae Atomi naturae ſeu Monades. Nam Atomi corporeae EPICVRI ſtare non poſſunt; quum enim partes habeant, non niſi miraculo indiſſolubiles eſſe poſſent. Quin imo ſentio, non tantum animam, ſed et animal vnumquodque praeextitiſſe ab initio rerum, ſed varie transformari, augeri, minui, corpore inſtar fluminis mutato, anima tamen ſemper permanente. Et ſane SWAMMERDAMIVS, LEEWENHOEKIVS, MALEBRANCHIVS et alii non male iudicarunt, generationem animalium non eſſe re vera, niſi augmentationem et transformationem. Ego vlterius procedo, et ſtatuo,

quum

quum animal re vera nunquam oriatur, re vera etiam non interire, et vt vitae initium non est, nisi apparens, ita et eius finem non esse, nisi apparentem, et vt generatio animalium non nisi augmentatio est et euolutio, ita et mortem eorum non esse, nisi diminutionem et inuolutionem, saluo semper aliquo vitae gradu, etsi saepe sit sopori simillimus, cui et CHRISTVS mortem comparauit. Et vere rationis est, vt quod naturaliter non incipit, etiam naturaliter non pereat. Caeterum in animabus rationalibus inprimis considerandum est, eas in seminibus ab initio rerum constitutas, conditionem et naturam non nisi animae sensitiuae habuisse, donec ad rationis gradum exaltarentur. Vnde etiam non omnia animalia humana seminalia, quae innumera sunt, sed ea tantum, quae ad conceptum humanum peruentura sunt, animam eminentiorem habent, nondum quidem rationalem, rationi tamen futurae praeparatam, itaque praeexistentiam quidem animarum, sed non animarum rationalium, seu mentium admitto. At vero vbi semel rationem adeptae sunt animae humanae, statuo, non pati diuinam sapientiam, vt rursus amittant. Mentes enim conseruant non tantum substantiam, vt aliae animae, sed et personam, id est, conscientiam sui, seu actum reflexum, vt poenae, praemiique sint capaces. Itaque mentes seu animas rationales immortales esse dico; caeteras animas tantum indestructibiles. Etsi enim et hae immortales dici possint physice, non ta-

men sunt moraliter immortales. Ita quod in PYTHAGORA, PLATONE, ARISTOTELE, aliisque Veteribus optimum est, retineo, omniaque certis rationibus inter se connecto, et nonnihil haec attigi in Theodicaea, et iam antea in quibusdam diariis eruditorum. (**) Sed nescio quomodo in hoc digressus sum; occasione praeclari instituti Tui. Quod superest, vale et faue. Dab. Hanouer. 17. Iun. 1712.

(*) Ad HENRICVM DODWELLVM LEIBNITIVS procul dubio respicit, qui Lond. 1706. epistolam anglico edidit sermone, in qua e Scriptura Sacra et primae Ecclesiae Patribus probare studuit; quod anima sit principium naturaliter mortale conf. Acta Erudit. 1707. p. 207.

(**) Conf. LEIBNITII Theodicaea P. I. §. 89. et eiusdem principia Philosophiae in Actis Erud. T. VII. Supplem. sect. XI.

EPISTOLA CXCV.

I. *De machina astronomica exhibendis motibus Planetarum accommodata.* II. *De Relandi et Renferdi cum Clerico controuersiis.* III. *De Poesi latina et germanica.* IV. *Cartesii de anima brutorum sententia et* V. *De Iulio Caes. Vanino.*

I. Litteras Tuas gratissimas 2. Ianuarii datas, heri demum accepi Viennae, vbi nunc ago. Gratias ago, quod me doces, quae in re litteraria gerantur, ego quae hinc reponam non habeo, nisi quod hic vidi machinam Astronomicam, exhibendis motibus planetarum ita accommodatam, vt auctor inde Ephemerides ad annum vsque Domini 2000. sine calculo condiderit: an satis accurate, examinari e re erit.

Cae-

Caesari animus est, excitare studia litterarum, et sunt aliquot in aula viri insignes, qui hoc institutum iuuabunt.

II. RELANDVS et RENFERDVS viri praeclari non male collocabunt tempus in examinandis celeberrimi viri IOH. CLERICI theorematibus Hermeneuticis, sed vellem abesse cauillos, et quidquid affectus sapit.

III. Poësin Latinam apud Batauos tantopere excoli, cum voluptate intelligo ex Tuis. Nescio an Fabulam Moralem videris de necessitate perseuerantiae in caussa publicae salutis, est scripta iambis, et exhortationem continet ad constantiam in bello iusto persequendo. Extat cum versione Gallica, Lipsiae, puto, edita. (*) Sed placet etiam non deesse, qui Germanicam poësin percolant, promoueantque, vellemque calcar addi doctissimo, quem memoras, HOFMANNO Holsato.

IV. GOMEZII PEREYRAE librum sub Antonianae Margaritae nomine editum legi olim; non est spernendus, nec doctrina eius de natura animae brutorum abhorret a sententia Cartesianorum, sed CARTESIO notum fuisse vel lectum, vel vsurpatum, non est veri simile; satis illi talia suppeditabant propriae meditationes. Ego bruta animam incorpoream habere arbitror, eamque non perituram, etsi immortalis dici non mereatur, quia eandem personam non retinet, vt anima humana, quae conscientiam gestorum, seu memoriam sui conseruat, atque ideo praemii et poenae est capax vltra hanc vitam; sententiam hac de re meam BAY-

ivs dictionario inseruit voc. Rorarius, annotationesque in eam dedit, quibus pro parte respondi in diario Banagii.

V. Apologiam Vanini nondum vidi, nec magnopore dignam legi puto. Scripta eius parui momenti sunt, sed homo ineptus, imo stultus comburi non merebatur, claudi iure poterat, ne alios inficeret. Quod superest, vale et faue. Dabam Viennae 15. Mart. 1713.

(*) Constat ipsum Leibnitium *fabulam moralem de necessitate perseuerantiae in caussa publicae salutis* Viennae 1713. elaborasse. Quo circa, quum in omnium non versetur manibus et non ita multis constet versibus, e re esse iudico eam hic inserere: Ita autem sese habet:

Qvi pro salvte est, neminem lasset labor.

Gentem maritimam Vahalis et Mosae accolam
(Quondam fuisse rara quam turris probat
Extans ab vndis, quando depressae iacent,)
Aggeribus amplis saepe luctatam ferunt
Contra furorem fluminum, venti, maris.
Quam crebra ciui, crebra nox est rustico
Vigilata, ne foramen aperirent aquae,
Lateque laetos verteret strages agros!
Quam multa lapidum, ligni et argillae strues
Aduecta venit viribus magnis equum,
Tumulanda in vndis! nec locus sumtu vacat.
Tristis colonus sustineri longius
Impensa fructa posse redituro negat:
Partes iniquas alius iniungi dolet,
Commune studio nec pari pelli malum
Resonant querelae, vixque praeclarus comes
Rectorque gentis precibus et rationibus

Su-

Suſtentat animos, dum ſalutis admonet,
Nec ipſe noctu vel diu parcit ſibi.
Tandem labore fractus et cura graui
Victor periclis tunc triumphatis iacet.
Aliquamdiu memoria adhuc recens viri
Accendit animos, populus et ſuperſtites
Audit miniſtros, aurei ſecli genus.
Sceptrum capeſſit plauſibus magnis Soror,
Fratremque vincit maximis ſucceſſibus.
Immenſa moles aggerum ſurgit polo,
Pelago reddit vertice ex alto minas,
Pedibusque fluctus proterit vanos ſuis.
Rex ipſe ventos Aeolus frenis tenet,
Arridet aether, omnia ex voto fluunt.
Quin et vetuſtis fertur ex oraculis,
Si poſſet iri ad vsque promontorium,
Iactisque in altum molibus iungi caput;
Aeterna tutae fulcra regionis fore,
Felicitate prouocantis ſidera:
Vicinaque aderant pignora ingentis boni.
Sed ecce ſatis Nemeſis incumbit ſolo,
Megaera ſtygiis miſſa de vadis venit
Turbare mentes. Scelera pars ludum putat,
Alius ſaginam curat, et luxu fluens
In publica onera, quae parum ſentit, tonat.
Tu cuncta verti quaeris, vt rebus nouis
Sublatus, habeas, vane, quas perdas opes,
Teque ipſum in ipſis, quicquid et tecum trahes.
Venalis illic anima vendat patriam
Omnesque flauis poſteros pro nummulis,
Nec credit ipſi inſtare perniciem ſibi.
Iam rara vitam turba principiis agit

Rationis almae: cuncta pessundat furor,
Multosque mens tenebrosa transuersos agit.
Consurgit ingens fremitus, et populos mouet,
Lassos labore, fateor, et sumtu graui,
Sed non vt annis pauculis restans onus
Certae saluti debitum sani negent,
Ni coecitas pararet exitio viam.

„Megaera, in agros fusa Tartareum boat:
„Quid, stulte, vitam patriae donas breuem,
„Veneresque vitae? Patria sat stabit, scio,
„Quum tu iacebis. Fruere praesenti bono,
„Vos nostra, seclum posteri curent suum,
„Satis peractum est, aggeres tanti probant,
„Monumenta nostri magna venturis mali.
„Quod si supremi meta promontorii
„Nunc non adiri molibus iunctis potest;
„Habeant et alii, quo vices nostras agant.
„Oracla fingunt, nostra qui sorbent bona;
„Qui sponte miserum se facit liber, furit.

Temporibus istis proximam viciniam
Late tenebat Flandriae potens comes
Populis subactis. Ille fortunae inuidet
Gentis propinquae, siue virtuti magis.
Stimulat Megaera. Dominus addictos regens
Exempla libertatis assitae pauet.
Emittit ergo nuntios auro graues,
Corrumpit animos, patria queis vilis iacet,
Talesque passim voce rumores serit:
„Sat tuta dudum litora habitatis viri,
„Quod vos metuitis, secla vix centum dabunt;
„Vt nempe Luna et Aeolus, Vahalis, Mosa,
„Confoederentur cum tridentigero DEO.

Ergo

„Ergo timetis, credo, ne coelum ruat.
„Negligite vanos ominis vates mali.
Interea Magnae Domina concilium vocat
Fatale Gentis. Ire defensum boni
Populi salutem, sibilare viperis
Furiale monstrum. Fluctuant animi virum,
Vt dubia ventos inter oppostos stupens
Ignorat vnda, quem ferat dominum maris.
Orator ecce moribus sanctis grauis
Meritisque surgens, talibus coetum ciet.
„Est in propinquo metu, mox securitas
„Perpetua praesto est, et vocat sponsor DEVS.
„Non absolutus recidet in vanum labor,
„Vt Sisyphi reuolutus in barathrum lapis.
„Nox vna vertet annis acta ter decem,
„Fatalis hora reddet vbi terras mari.
„Instate paulum, mox breuem constantiam
„Finis coronat. Testor aeternum Patrem
„Hominum Deumque, si manum remittitis,
„Consilia praua recident in vestrum caput,
„Minax tridentem iamque Neptunus quatit.
„Celebrauit olim patriae Graios amor;
„Romana grauitas dedit exempla gentibus,
„Victoriam esse, cedere haud vnquam malis.
„Ratio salutem publico innectit bono.
„Mox tempus aderit, vt sacri vates canunt,
„Europa quando iam prope accipiet iugum,
„Virtus Britanna iuncta ni Batauae vetet,
„Heroas actis prouocans veteres nouis.
„Vbi perseuerant, hostis in leges venit;
„Sin vim relaxent, omnia in praeceps dabunt.
„Age ergo ciuis: arduam ne desere
„Viam salutis, haud procul fastigio;

„Longique nisus perde ne fructum semel.
„Quis nuper ardor pectus animabat tuum!
„Quam pulchra verba, qui regunt aulam, dabant!
„Cum se negabant cedere anterioribus
„In prosequendo publici coepti gradu;
„Cur tanta nunc promissa tam subito cadunt,
„Vnius anni nil retorquentis mora?
„Quin aucta spes est: prosper aspirat DEVS,
„Ni nos moremur. Hostis in nobis latet,
„Furorque saeuit intus ex ima Styge.
„Ergo expiemur, et petamus coelitus
„Mentem serenam, maximum munus Deum.
Est ipsa virtus visa per senem loqui,
Nebulisque pulsis sanitas animis redit,
Ni furia rursus artibus turbet nouis.
Pseudopropheta surgit et plebem leuem
Iam fuscinatam caerimoniis tenens,
Pacem Deorum spondet, et tuta omnia,
Si gens profana possit excludi sacris.
Megaera sufflans rursus in mentes redit.
Iam pro salute publica nugas agunt
Peiusque nugis: alius in alium furit.
Pars sanior recedit admonitu omnium,
Tenaxque libertatis ad Batauos abit.
Per aliquot annos improbi clauum regunt,
Opinione iamque felices sua
Spernunt piorum monita, et insultant bonis.
Sed fata lento tacita subrepunt gradu,
Adestque tandem, cuncta quae vertat, dies.
Aequante libra noctis et lucis vias,
Ardere visa Luna Neptunum vocat,
Furensque Caurus duplicat ponti metus,

In-

Insolitus imber alueos graditur supra,
Suspensa in altum flumina haud ripas sciunt.
Oceanus ipse fluctibus vastis tumens
Minatur astris, et vetus tentat chaos.
Linquuntur animis accolae et casu stupent,
Inabsolutus agger obstabat male,
Tandemque cedens aequor admittit solo,
Late ruina ianuam pelago facit.
Surdos colonus inuocat sero DEOS,
Frustraque palmas tendit ad coelum miser.
Ipsa est fuga intercepta; diluuium redit,
Colles teguntur; quisquis his steterat, natat,
Viuumque sorbet omne communis labes.
Subsidit ipsa terra, fit totum mare.
Gentem fuisse, Historia vix tristis docet,
Et quae tenuia indicia superextant aquis.
Vos, queis diluuium, sed cruoris, imminet,
Et sub tyranno Rege seruitium graue;
Felicitatem spondet at sumtus breuis,
Si sustinetis coepta, quae coelum probat:
Attendite animis, fabula in vobis redit.
Pugnate monstro, quando longinquum venit.
Aperire pesti viscera, insana est quies.
Pax vna vera est, fractus hostis perfidus
Impune quam violare si cupiat, nequit.
Quod si monentes negligitis homines, DEOS;
Praecepta dabitis gentibus vestro malo:
QVI PRO SALVTE EST, NEMINEM LASSET LABOR.

EPISTOLA CXCVI.

I. *De viri illustris Wibii Consiliarii intimi et Seb. Kortholti in Academiam Kiloniensem meritis.* II. *De Bibliotheca Ehrenkroniana et Feldiana.* III. *De Schelhammero et Reybero.*

I. Et Tibi gratulor, et vestrae Academiae caussa gaudeo, quod negotia eius in aula Regia tam praeclare gessisti. Illustrissimum WIBIVM, summum virum a multis laudari audiui, sed apud me plurimum certe aucta eius existimatio est ex litteris Tuis, vnde apparet, non dedignatum Academiae vestrae tutelam, et Virorum doctorum curam; quos vulgus aulicorum, etiam qui per litteras emersere, alto, sed inepto supercilio spernere solent.

II. Ehrencroniano indice memorato saliuam hic moui Magnatibus Hispanis, quos inter eleganter doctus est Comes ab OROPESA; itaque pergratus aliquando ille index erit. Quis quaeso est ille Dominus in FELDE, qui egregiam Husumi bibliothecam possidet, et vnde Pontificius? an orbus?

III. Vtinam optimo et doctissimo SCHELHAMMERO nostro consuli posset. Hortatus sum, vt immortalibus laboribus subleuaret animum, nec pro futuris rerum molestarum cogitationibus attereret. Praeclare faciet Amplissimus REYHERVS noster, si multa egregie cogitata non perire patiatur, sed reipublicae donet inter viuos; sed vellem sufficienter explanet, ne aliquando aenigmata videantur. Ambos rogo, vt a me officiosissime salutes. Quod superest, vale et faue. Dab. Viennae 4. Nou. 1713.

EPISTO-

EPISTOLA CXCVII.

I. De Reyheri obitu. II. De Tychonis Brahei obseruationibus. III. De Libani epistolis ineditis. IV. De Olai Römeri obseruationibus. V. De Ottone Sperlingio. VI. De Theut Deo Gallorum et Germanorum. VII. De Consil. intimi Danici Io. Georgii Holstenii meritis in litteras. VIII. De Pufendorfii Historia Friderici Guilielmi et de Historicis Islandicis.

I. Gaudeo, Te palmis ornatum Hafnia domum rediisse. Non exigua est victoria in aula pro litteris, martiis temporibus obtenta. Praeclarae illae Bibliothecae vendibiles, de quibus loqueris, non mei forent marsupii, nec de Principibus adhuc multum promittere ausim, donec deferueant noua pericula a Septentrione et Oriente. Doleo optimum REYHERVM destituisse spem nostram et promissa sua; volebat enim, vt nosti, elegantes non paucas, etsi minutas aliquando, non inutiles obseruationes et meditationes suas colligere, et edere, quae nunc intercidere.

II. TYCHONIS BRAHAEI summi viri obseruationum volumen edidit ALBERTVS CVRTIVS Iesuita, sub titulo: Historia coelestis ex schedis, quae defuncto Autore Pragae superfuerant. In secundam editionem ERASMVS BARTHOLINVS censuram strinxerat, itemque editionis Hafniensis fecerat, quam vellem celeberrimus WOLFIVS impleret.

III. Suadeo, vt Amplissimus ROSTGARDIVS Epistolas LIBANI hactenus ineditas, edi quam primum curet, ne ab aliis praeueniatur;

IV. Olai Romeri, amici mei insignis doleo non nisi triduanas edi obseruationes, quum debeat reliquisse tricennales, aliaque egregia multa. Inter alia libellum de aptissima figura dentium in rotis, rem subtilissimae Geometriae, mihi olim Parisiis ostendit.

V. Ottonem Sperlingium gaudeo adhuc valere, vtinam vtiliora et selectiora dare ne differret. Ostendit mihi aliquando Crantzii vitam a se elaboratam.

VI. Theut fuisse Deum et Gallorum, et Germanorum non puto dubitandum, nempe Tuisconem Germanorum, a quo Tuitsche vel Teutones nunc quoque dicuntur, nihil differre a Teutate, Gallorum. Olim ea de re nonnihil digladiati sumus in litterariis Balthicis, sed non bene memini, quid ille tunc opposuerit. Thvano omissa sed in Gallicis editionibus peculiari libello in Batauis edita sunt, sed si volumen integrum et iustum habet Bibliotheca Regia Danica, aliud contineat oportet.

VII. Illustrissimum Virum, Consiliarum intimum Holstenium, quem maximi semper feci ex fama, nunc bis terque colo, quod litteras sibi in loco tam sublimi posito adhuc tam caras ostendit, plerumque enim viri docti litteras, vt mercenarii tractant, et, vbi ad altiora peruenere, spernunt.

VIII. Nesciebam Pufendorfiana aliqua Historiae Frid. Guilielmi ante editionem fuisse suppressa. Ea haberi operae pretium foret. Islandicis Historicis et Sagis in rebus paullo remotioribus non multum tribuo.

An

An Dn. Frater Tuus adhuc in Gallia, vel alio itinere agit? Quod superest, vale et faue. Dab. Hanou. 1. Febr. 1715.

EPISTOLA CXCVIII.

I. Holstenii de propagatione repurgatae fidei consilia. II. *Rostgardi et Eccardi de veteri Teutonismo institutum.* III. *Reyheri obseruationes.* IV. *Epigramma Leibnitii.*

I. Gaudeo, Te cum valetudine in gratiam rediisse. Ego subinde pedibus laboro, interdum et manus inuaduntur. Caput et stomachus hactenus diuino beneficio officium faciunt. Non bene memini ipse, quae desideria mea Tibi perscripserim, eruditis Daniae per Te commendata. Quaecunque fuerint, tua commendatione pondus accipient. Mirifice gaudeo, Illustrissimum HOLSTENIVM de propagatione repurgatae fidei cogitare. Libellum, quem Tibi misit hac de re, videre opto. (*) Forte ex proximis nundinis Lipsiensibus Försterus, bibliopola noster reportare poterit. Vtinam conspirarent Potentatus Protestantes in hanc curam, praesertim, vt olim in Nouissimis Sinicis optaui, apud Sinas, vbi missiones pontificiae in periculo sunt, Papae ipsius obstinatione, qui res per se innoxias, vt sunt honores CONFVCII et maiorum prohibet nequicquam. Iesuitae aut non parebunt, eludentque mandata ex longinquo, aut regno eiicientur. Vtinam nostri in partem solicitudinis huius venirent, magis, vt credo, sapienti Principi doctrinae puritate placituri; suppeditare pos-

possem digna mitti Principi tanto. In litore Malebarico vix quicquam pro religione Christiana magni efficietur, nisi ab eo, qui regionem teneat.

II. Rostgardum inclytum virum nollem praeclara consilia plane omittere, praesertim illustrandi veteris Teutonismi, cuius tantum habet thesaurum, si tamen omnino spes nulla est huc amplius incubiturum, vellem eius apparatum, obseruationesque praeclaras huius instituti venire in manus dignas, quae recte vti possint, et grata vbique mentione tanti viri. Cl. Eccardus, qui omnia apud me egit, postea Helmstadii Historias publice docuit, nunc Hanoueram reuocatus est Historiographi titulo, meo hortatu suoptoque genio in hoc studium mirifice ardet, magnosque (ausim dicere) progressus fecit. Vndique conquirimus quae in rem. Fauet Rex ipse Magnae Britanniae; quid si faueat et Rostgardus? sed non vtique gratis. Nam non aspernabili pretio, aequo tamen, et quale Principum Ministris persuadere possis, redimerentur, spero.

III. Bonus Reyherus noster nos destituit, nec praestitit, quod poterat, et promiserat mihi, dare in publicum selectiores suas Obseruationes Mathematicas, Mechanicasque. Vellem discipulos reliquisset, qui pleraque supplere possent; si qui tales sunt, Tibi non ignoti erunt. Clarissimum Dn. Fratrem Tuum Parisiis redire, (an ire?) gaudeo. Vellem, illic inseruire per amicos posse, optem ipse illic fauere velit mihi.

IV.

IV. Insigni Poëtae scribens Epigramma addo, sed impar Tuis, et eorum, qui Musas frequentius colunt. Occasio Epigrammatis nata est, quum nuper Neptunus visus est Articulum pacis Anglo-Gallicae circa Dunckerkam tueri velle, quod vocant, praestare Guarantem; Pufendorfius ridicule garantiam ipsam vertit euictionem, quae contrarium est Guarantiae, et per Garantiam emendatur. Veluti, si equus venditus euincatur a vero Domino, euictio a venditore emtori praestanda est. Equidem praestare Garantiam, est praestare euictionem (vt ICti Romani loquuntur) sed quemadmodum praestatur damnum, id est, emendatur. Haec phrasis Veterum ICtorum non bene intellecta Virum decepit, vt Garantiam euictioni confunderet; prorsus quemadmodum, si quis damnum indemnitati confundere vellet, quia praestare damnum, (id est aequiualens damni) est praestare indemnitatem. Sed haec obiter. Quaeris, quid in hanc rem egerit Neptunus? Si nempe memineris ex nouellis publicis, mare nupera magna tempestate portus, vel Mardicensis noui exitum sabulo obstruxisse:

In Neptunum pacti statorem, quum mare Mardicensem Aquaeductum sabulo oppleuisset.

Anglia Neptuno conquesta est: Gallica pacta
Irrita ludibriis esse pudenda suis.
Quid Dunckerka vacet, si proxima Mardica surgat,
Longaque sit statio, quae modo lata fuit?

Cui Deus: hoc poteras cauisse ô filia! falli,
Plus semel illusus foedere, dignus erat.
Ipse tamen tueor. Quatit et mox ipse tridentem,
Et subito est cumulus, quae modo fossa fuit.

Quod superest, vale et faue. Dabam Hanou. 25. April. 1715.

(*) Anno 1714. Hafniae constitutum est collegium de cursu Euangelii promouendo. Electi viri auctoritate illustres pietateque ac eruditione conspicui, qui prudentia sua proueherent id negotium sacrosanctum. Quo circa scriptum aliquod germanicum publicarunt, cuius mentionem hic infert LEIBNITIVS. Latine id vertit IO. CHRIST. HORNVNG, et dissertationi *de conuersione paganorum, sigillatimque illa sub potentissimi Daniae Regis auspicio apud Indos orientales nuper instituta*, praeside summe venerab. D. HENRICO MVHLIO Kilonii 1717. habitae inseruit §. X. p. 74. seqq. Huic principe loco die 19. Ian. 1715. nomen suum subscripsit IO. GEORGIVS de HOLSTEN quondam Consil. intimus, Eques ordinis Elephant. et praefectus Tunderensis. conf. epist. CXCIX. et CC. vbi pluribus de eodem HOLSTENIO.

EPISTOLA CXCIX.

I. *De Maecenatibus obseruatio.* II. *De Teutenwinckel prope Rostochium.* III. *De origine Francorum.* IV. *De propaganda fide consilia.* V. *Sperlingii et Reyheri posthuma.* VI. *De Orfirei machina et Krüsikenio.* VII. *De Koenigsmanni scriptis philosophicis.* VIII. *Leibnitius puer doctus.* IX. *Schelhammeri institutiones medicae.* X. *De Koenigsmanni obseruationibus philosophicis.*

I. Versus Horatianus, quibus litteras Tuas gratissimas incipis, claudicat in meis pedi-

dibus. Fecisti pro amico haud dubie et amica voluntate, quod ex meis quaedam cum HOLSTENIO summo viro, communicasti. Etsi verear, ne ea minuerint opinionem, quam de me habuisse videtur. Interim ab eo, et facto ipsius, et rationibus, exemplisque refutari gaudeo, quum negat, viros eruditos, vbi emergunt, litteras negligere, et exempla doctissime affert, quibus applaudo. Vnum pro me allegare licet, verissimum esse, quod ait, in magnis illis viris, qui litteras quodam genii impulsu, et ob honestam voluptatem, ex iis perceptam coluere. Sed in plerisque vulgo amor litterarum mercenarius est. Tales, si iocante fortuna ex Rhetoribus Consules fiant, ostendunt, quam a vera doctrina sint alieni; ex quibus ego non vnos noui, sed non solent illi nomen magnum sibi comparare in Historia, auidiores pecuniae quam gloriae. Exempla sunt odiosa, vt vulgo dicitur.

II. Teutenwinckel prope Rostochium ignoraui hactenus, gaudeoque didicisse, est enim situs dignus notatu; Saltum Teutoburgicum non procul Visurgi commemorat TACITVS. Potest a Deo nomen esse, potest et a Teutonum populo. Theut, vt Man, et hominem significat, et hominem κατ' ἐξοχὴν virum insignem, Principem Heroa, Deum. Denique etiam gentem, regnum, apud Vlfilam in Euangeliis. Teutones sunt originarie collecti homines in genere. Sed nomina generalia saepe fiunt propria.

III. Rogatu amicorum in Gallia edo Schedi-

diaſma de origine Francorum, (*) proboque ex Anonymo Rauennate, et Ermoldo nigello inedito, Francos primum veniſſe a Balthico mari, fuiſſeque confluxum hominum ex Danis, Saxonibus, Anglis, Warnis, aliisque populis vicinis. Memorabilis inprimis eſt locus Ermoldi Nigelli in carmine ad Lvdovicvm Pium, vbi dicit, famam eſſe, Francos ortos eſſe ex Danis. Rauennas ait, eos veniſſe ex Mauringia, id eſt, ex ora Balthici maris. Idem refert, Danos a Romanis fuiſſe laudatos ſupra Gothos et Perſas. Franci deinde Albim transgreſſi aliquamdiu inter Moenum et Harzicos montes conſedere, tertia eorum ſedes fuit ad ripam dextram inferioris Rheni, donec tandem Rhenum transgreſſi Galliam occupauerunt. Non erit hoc ſchediaſma niſi trium plagularum circiter: Curabo, vt aliquot eius exempla ad Te mittantur, petoque, vt deinde rei notitia ad Eminentem virum Patronum Tuum perueniat.

IV. Gaudeo eum dignas gradu, quem tenet, cogitationes animo concepiſſe, et ſapientiſſimo Regi probaſſe. Gratias ago, quod notitiam conſilii typis editam ad me peruenire voluiſti. Neſcio, an nouiſſima mea Sinica videris ante multos abhinc annos edita, tunc cum certis nuntiis conſtabat, religionem chriſtianam apud Sinas, Regis edicto permiſſam. Ibi vota concepi, vt vellent Principes, quibus repurgata religio cordi eſt, animum aduertere, ad propagandae verae fidei curam. Ex eo, ſub Gvilielmo Rege M. Britanniae, ſocietas quae-

quaedam in hanc rem apud Anglos inita eſt; ſed hactenus non magno ſucceſſu. Video, in illa, quam miſiſti, notitia id agi praeclare, vt linguae populorum noſcantur, apud quos fidem Chriſti praedicari cupimus. E re, ni fallor, foret, ex illis ipſis populis allici aliquos linguae, literarumque gentis ſuae peritos, et mitti in Europam, vt hic adoleſcentes inſtituant. Ita noſtri, quum illuc venient, non perdent tempus in diſcenda lingua, cuius vſum etiam plerumque difficilius ſibi comparant, qui iam aetatem habent, et negotiis curisque ſunt diſtracti. Itaque olim ſuaſi, vt Bataui Sinenſes aliquot, (quorum non paucos in ipſa Orientali Batauia habent) accerſerent in Europam, qui hic ſcholas aperirent, et pueros delectos lingua ſcripturaque imbuerent. Hi demum, ſi mores probati, et reliqua doctrina accederet, miſſionibus ſacris aptiſſimi forent, et quum maxima futura ſit meſſis Chriſtianismi in ampliſſimo illo Sinarum regno, ſi boni operarii accederent, vellem profecto in eam curam incumbi a noſtris: praeſertim quum res iam eo ſit loco, vt ſi Romanus Pontifex pergit, qua ire coepit, via, Miſſionarii ipſius apud Sinas, qui dicto eius audientes futuri ſunt, expulſum iri videantur.

V. Multa haud dubie in Sperlingianis poſthumis erunt digna edi, quae nollem interire. Ipſe mihi aliquando dixit Hamburgi, ſe vitam Alberti Crantzii elaboraſſe. Hortandus eſt Nobiliſſimus Reitservs, vt aliquid inde conferat in publicum. Gaudeo, Dn. Rey-

HERVM generum, pariter et ex fratre nepotem (sic loqui audeo) clarissimi SAMVELIS supplere posse, quae ille dare neglexit.

VI. De ORFFIREI Machina nondum habeo, quod dicam; nescio, an talis sit, vt ad magna opera adhiberi possit. Dn. KRVSIKENIVM dignam stationem inuenisse gaudeo; Credo etiam, nunc vtilibus studiis subinde vacare posse.

VII. Incidi aliquando in quaedam Dni. KOENIGSMANNI, Philosophiae, ni fallor, apud vos Professoris, quae mihi perplacuere. Ego enim Metaphysicam, et cognatas disciplinas maiores facio, quam vulgo hodie fieri solet. Vellem nosse, quem primum putet Metaphysicam in artem redegisse. Omnia eius aliquando nancisci gratum erit. In Theodicaea mea dedi quaedam, ex quibus pars Metaphysicae demonstratiuae confici posset.

VIII. Elegantissima sunt Tua de senibus discipulis, de puellis eruditis. Nescio, an ego, vt Tibi videri video, inter pueros tuos locum merear. Etsi enim puer vna die carmen Pentecostale trecentenorum versuum scripserim, (quum ille, qui in schola publica pridie ante festum recitare suum debebat, non comparuisset,) tunc tamen nihil edidi. Epigrammata tua, et Hodoeporica carmina aliquando videre opto. Vbi aliquid a TOVRNESIO Geneuensi intellexero, significare non differam.

IX. Optem, Dn. SCHELHAMMERVM examinare PITEARNI, Scoti, et STAHLII nostri sententias, item controuersiam, quae hodie

die agitatur in Gallia, vtrum digeſtio fiat per triturationem, an per fermentationem, aut per vtramque ſimul? Haec in Inſtitutionibus tangi mererentur, vt et aliae celebriores recentiorum ſententiae, exemplo SENNERTI, qui eas attingere ſolet, quae ipſius tempore celebrabantur. Sic SANCTORII Medicina Statica, (SENNERTO credo intacta) tum SYLVIVS inprimis WALAEVS, WILLISIVS, SIDENHAM, MORTON, BELLINVS, BALLIVVS, ETMVLLERVS, REGIVS, BARBETTE, LISTOR, HELVETIVS iunior, CRANIVS, BONTEKOE non praetereundi forent; ita inſtitutiones nouae ſupplebunt, quae SENNERTO deſunt; Et ad hoc inprimis reſpiciendum puto: Sic liber non minus famam et applauſum habebit, quam inſtitutiones SENNERTI olim habuere. Eo magis expetetur etiam a non Medicis. Homines enim eruditi non ſolum dogmata, ſed et Hiſtoriam dogmatum amant, quod ſi hoc neglexit, optem vt ſuppleat, quod ipſi facile erit. Viderit libellum BEVEROVICI de Medicina ex Autoribus veteribus non Medicis.

X. Deſiderem adhuc quaedam ex Dno. KOENIGSMANNO quaeri. Ait, neminem cauſſam moralem bene definiſſe ante Dn. CLAVSENIVM; (**) neminem perſonam bene ante Dn. FRANCVM; (***) velim noſſe has definitiones. Ipſe merito deſiderat Corpus Axiomatum. Neſcio, an viderit NOVARINI Animam Scientiarum, opus ſatis grande in folii forma, quod conſtat ex aliquot millibus Axio-

matum (si sic appellari merentur) et semper allegantur Auctores, a quibus petitum, aut vberius tractatum. Id nonnihil desiderio eius accedet. Loquitur de WESENFELDIO quodam, qui noua cogitata dederit, de variis Philosophiae partibus, et qui desiderarit definiri, quid libertas, necessitas aliaque id genus; ego id a me praestitum puto in Theodicaea. Citat et quendam WENCESLAVM SCHILLINGIVM, mihi non visum, qui multa bona contineat. (†) Quum videam ei esse notos libros Philosophicos non vulgares, vellem nosse, an viderit libellum, quem vidi olim adolescens, sed ex eo iterum non occurrit, etsi quaesierim. Titulus erat: IVSTI BRAVEN commonefactio Logica, in ea non male mihi tractari videbatur ars interpretandi. Libellus in forma 12ma, si bene memini, editus erat Rostochii. Non respondes an Dnus frater Tuus in Galliam iturus, is sit, qui illic iam fuit, an alius? Quos fratres habeas superstites nosse gratum erit; indicemque et Tuorum scriptorum et paternorum nancisci. (††) Quod superest, vale et faue. Dabam Hanou. 20. May 1715.

(*) G. G. L. *de origine Francorum disquisitio* Hanou. 1714. in 8. latine prodiit. Eandem ECCARDVS *Legibus Salicis* attexuit additis annotationibus et LEIBNITII responsis ad obiectiones R. P. de TOVRNEMINE. Gallico sermone exarata deprehenditur T. II. *Recueil de diuerses pieçes sur la philosophie par Mns.* LEIBNIZ, CLARKE, NEWTON etc. p. 287. seqq.

(**) Is est IO. CLAVSENIVS primum Log. et Metaph. in Academia Kiloniensi Professor, demum Consiliarius intimus regii et celsissimi Principis Slesuici et Holsatiae, CAROLI FRIDERICI.

(***) Is

(***) Is est CHRISTOPH. FRANCKIVS quondam Acad. Kil. Procancellarius et Prof. Theologiae primarius. Vtrumque et CLAVSENIVM et FRANCKIVM citat ANDR. LVDOV. KOENIGSMANNVS in dissertat. electica *de rationali Metaphysices, tamquam vniuersalis scientiae cultu*, edita Kilonii 1712.

(†) Hunc librum cum KOENIGSMANNO Parens meus communicarat. Index libri est: *Ecclesiae Metaphysicae visitatio concionibus metaphysicis nouem exquisitissimis excutiens praecipuos articulos metaphysicos et ad vnguem demonstrans, quo eiuratae impietatis vanitatisque deploratae metaphysici doctores delabantur, ad metaphysicas speculationes mysteria caelitus patefacta violentiss. detorquendo, ac exigendo metaphysice*, *inchoata* a M. WENCESLAO SCHILLINGIO Magdeburg. 1616. in 8.

(††) Indicem scriptorum pie defuncti Aui mei Parens meus differt. Eius Anti-Baronianis Hamb. 1708. recusis attexuit; Idem in *relationibus innocuis* 1731. p. 887. seqq. Parentis autem mei scripta recensita reperias P. IV. *Historiae Bibliothecae Fabricianae* p. 437. seqq.

EPISTOLA CC.

I. *De propagatione fidei Euangelicae apud Sinas et Malabaros.* II. *De scriptoribus de re morali.* III. *Scripta partim edita partim nondum diuulgata S. Kortholti.* IV. *De Enthusiasmo Poetico.* V. *De Poetis Episcopis et vatibus.* VI. *De barbaris non barbaris et non barbaris barbaris.* VII. *De naeuis Ethicae Aristotelicae.* VIII. *De frugalitatis virtute.* IX. *De inimicis amandis.* X. *De doctis Eremitis.* XI. *De admiratione.* XII. *De ἐπιχαιρεκακίᾳ.* XIII. *De Poesii Politica.* XIV. *De Sylvestro II. et* XV. *De Poetis prophetis et Poetis Imperatoribus.* XVI. *De picturae, musicae, cantionum ecclesi. in re morali vsu.* XVII. *De vita mortuorum etiam paganis credita.* XVIII. *De Epithetis atque* XIX. *De carminibus Germanicis metro latino etc.*

I. Recte Illustrissimus HOLSTENIVS iudicat, propagationem fidei Euangelicae apud

pud Sinas melioribus temporibus reseruandam; quamquam mea sit regula, quum licet, in rebus salutaribus vnum esse faciendum, alterum non omittendum, et apud homines philosophos et meditationum capaces facilius aliquid rationibus efficias, quam apud Malabares, vbi crassa ignorantia regnat. Ceterum ad Missionem etiam Malabaricam efficacius vrgendam, putem accersendos in Europam Malabares, a quibus hic schola linguae patriae aperiri posset, docendis iuuenibus illuc mittendis. Ea mihi compendiosissima ratio missionum subleuandarum esse videtur.

II. Placet institutum Tuum de re morali ornanda. PLACCII accessiones olim non displicuere. Epistolam meam ad Dn. Abbatem MOLANVM Tibi visam puto, qua iudicium exposui de PVFENDORFII libro, quo officium hominis et ciuis tradere voluit: scripsi rogatu Dni BOHMERI, Doctoris Theologiae et Professoris Politicae, Eloquentiaeque Helmstadiensis, MOLANI ex fratre nepotis, qui sententiam meam de libello, quem scholis priuatis explicare volebat auditoribus, per auunculum nosse expedebat. Eam deinde Programmati suo inseruit. Nescio, an videris THOMAE ALBII Angli stateram morum. (*) Erat fidus Achates KENELMI DIGBAEI, et quaedam ipsius operibus adiecit. Contradictores habuit, et doctrinam suam defendit.

III. Gratias ago multiplices, quod paternarum operum indicem typis editum misisti, vna cum schediasmate Tuo erudito de pueris praeco-

coci-

cocibus, et discipulis senibus; tum etiam quod indicasti, quae dederis, quaeque moliaris; quibus paucula aspergo; an sperare possumus Historiam ecclesiasticam paternam?

IV. Ad Enthusiasmum Tuum poeticum noto, Comitem SCHAFTSBVRIVM, nuper defunctum, Cancellarii Anglici, filium dissertationem dedisse, in Gallicam versam de Enthusiasmi remedio per iocos, vbi et Enthusiasmum poeticum attingit.

V. Poetis Episcopis possent adiungi poetae Cardinales, ex his est, qui nunc floret Cardinalis POLIGNIACVS. Dn. Comes SINZENDORFFIVS, magnus Cancellarius Aulicus apud Imperatorem dixit mihi, se vidisse poema eius latinum elegantissimum, LVCRETIO oppositum, mox, vt spero, edendum. Puto LOTICHIVM casu praedixisse ruinam Magdeburgicam, vt ego magnitudinem Brunsuicensem praesentem in Epicedio, quo IOANNEM FRIDERICVM, Ducem mortuum, et successorem eius, fratrem ERNESTVM olim celebraui, carmenque Heroicum his versibus clausi.

Et superi maiora parent, sed talia Parcae
Noscere mortalem prohibent, vel dicere vatem.

Allusi ad illud Virgilii:

prohibent nam talia Parcae
Scire Helenum, farique vetat Saturnia Iuno.

Iure Poetas a contemtu Parrhasiano vindicasti; Nescio an videris libellum contra Poetas frigidum filii TANAQVILLI FABRI. Poesis mihi recte dici posse videtur lingua Angelorum.

Histo-

Hiſtoriam Poetarum Italorum ſcis dediſſe CRESCIMLENIVM. Germanorum egregiorum aliquando dabit ECCARDVS meus; qui multum de antiquis noſtris Poetis vulgo non nota collegit.

VI. Diſſ. tua de felicitate infelicium, et infelicitate felicium, fecit, vt recordarer libri, quem R. P. VOTA moliebatur, de barbaris non barbaris, et de non barbaris barbaris. Ibi multa annotare volebat de iis, quae Poloni habent, apud quos diu verſatus erat, Italicis aut ſimilibus praeferenda.

VII. Ethicae Ariſtotelicae naeuos non dubito, quin optime notaris. Mihi, quae de iuſtitia habet ARISTOTELES, olim non mediocriter placuere. (**) De morbis mentis haud dubie egregia afferes. PLACCIVS Medici filius Ethicam tractabat ad inſtitutionum medicarum formam non male.

VIII. In Diſſert. de Frugalitatis virtute poteris in Oeconomiam politicam expatiari, quo pertinet emendatio agriculturae, manuficiorum, et commerciorum.

IX. Praeceptum Chriſti de inimicis amandis ſemper iudicaui, eſſe iuris naturalis, apud eos, qui prouidentiam et immortalitatem animae agnoſcunt, ſed ſunt in amore gradus. Etiam in hoſtibus eſt diuinarum profectionum imago. Res clara eſt ex mea amoris definitione, qua controuerſiam inter praeſules Cameracenſem et Meldenſem de amore Dei non mercenario ſuſtuli, antequam fuit nata, nempe in praefatione mea Codicis iuris gentium. (***)

X. Do-

X. Doctis Eremitis potes accenſere CARTESIVM, qui ideo Batauos petierat, vt in media turba latere, et ſibi viuere poſſet, vt ipſe conſilium ſuum expoſuit.

XI. In verſum HORATII: Nil admirari prope res eſt vna, Numici Solaque quae poſſit facere et ſeruare beatum, nuper quidam in neſcio qua Ephemeride commentatus eſt, inſultatque HORATII interpretibus, quod non aduerterint, hoc Epicureum eſſe, et in eo latere dogma EPICVRI, omnia caſu fieri, adeoque nihil in mundo eſſe dignum admiratione; quae ſatis ſtulta ſententia eſt; et praefero ARISTOTELIS doctrinam, admirationem laudantis, fontem Philoſophiae. Legi in quodam itinerario, barbaros, neſcio cuius inſulae auſtralis, ſtupidiſſimos merito habitos, quod nihil rerum noſtrarum eſſent admirati.

XII. Ad Epichaerekakiam prauum quorundam appetitum refero, qui libenter ſupplicia ſpectant, vt olim HENRICVS II. Rex Galliae. Bonis mentibus diſplicent haec ſpectacula. Quod officia circa bruta attinet, dicam, me ante multos annos rogatu amici ſchedam, de educatione Principis, conſcripſiſſe, vbi inter alia monebam, dandam operam, ne puer aſſueſcat crudelitati in animalia exercendae, poſſe enim hunc gradum eſſe, vt etiam in homines fiat durus. Quum ſchedam R. P. VOTA Italus Regi Poloniae praelegeret, inprimis ille locus placuit Regi.

XIII. Mihi nunquam placuit illa, quam WEISIVS vocabat Poeſis politica, vbi forma inſcriptio-

ptionum paginae implentur frigidis argutiis, et plerumque alliterationibus, quas Galli appellant Turlumpinades. EMANVEL THESAVRVS has nugas prouexit, eaeque inprimis illis placuere, qui ad veram Poesin aspirare non audebant.

XIV. Inter Poetas Papas veteres SYLVESTREM II. s. GERBERTVM, prae ceteris magni feci, quem vulgo inepti Necromantam faciunt. Eius carmen in BOETHIVM breue, sed non spernendum mihi visum est, pro temporis captu.

XV. Dissertationem mererentur Poetae Prophetae, vbi LOTICHIVS Tuus, vbi SENECA, cuius nosti illud propheticum: Venient annis secula seris etc. Huc NOSTRADAMI felices nugae. Inter Poetas Imperatores haud dubie numerabis FRIDERICVM II. de quo illud in lingua prouinciali: Plaz mi Caualier Frances et la Donna Castellana.

XVI. Ad picturae vsum in re morali refero Ethicam pictam, quam puer vidi pro Principe Altenburgico confectam. Musica hodie fere vsum mouendorum affectuum perdidit, quia solet esse nimis artificialis; rare inuenio cantus, qui me tangunt. Ex cantu ecclesiastico placet illud: Ecce, quomodo moritur iustus: Ex nouis et profanis vix quicquam occurrit, quod Gallicae nuperae odae praeferam, quae ita incipit: Aimable vainqueur, cher tyran des coeurs, Amour dont l'Empire, dont le martyre est plein de douceur etc. Geographiam moralem dedit DANIEL BARTOLVS; placuit

it etiam carta Geographica teneri affectus in Clelia SCVDERIAE.

XVII. Egregium eſt argumentum de vita mortuorum etiam paganis credita. Scripſi credo olim Tibi, hoc mihi videri Theologiae naturalis; et PVFENDORFIVM culpaui, quod hanc doctrinam ſepoſuit, ſine qua res moralis non poteſt non eſſe imperfecta.

XVIII. Elegans Tua meditatio erit de Epithetorum doctrina ad formam artis redacta, erit diſſertatio argumenti Logico-Rhetorici. Digladiantur nunc in Gallia DACERIA et MOTTAEVS vtrum recte HOMERVS et alii Epitheta adhibuerint nimis nota, vt ſiquis in carmine niuem albam dicat.

XIX. De Orthographia vernacula commentatus eſt in Suecia OLIVER CRANTZIVS: ſi bene memini, meretur Germanica conſtitui. Nonne cygnos cantantes Bartholinianos fabuloſos putas? Dn. HERAEVS, elegans Poeta Germanus, mihi Viennae, vbi Antiquarius eſt Imperatoris, carmen ſuum Germanicum metri Latini monſtrauit. Allegauit ipſe carmen gallicum ſapphicum: Si le tout puiſſant n' etablit la maiſon, l' homme-y-trauaillant ſe peine outre raiſon, vous veilles en vain la cite defendant, Dieu ne la gardant. Fluit non male pro dialecto gallica ante 100. annos vſitata. In Germanico res non ita bene ſuccedere poteſt; Anapaeſticum tamen carmen aliquando in Germanico tractaui ad morem SENECAE Tragoedi, et videbatur procedere mediocriter ad imitationem illius: Nunquam ſtygias fertur

tur ad vmbras etc. Sed haec talia in vsum communem traduci non suaserim. Quod superest, vale et faue. Dab. Hanou. 2. Iul. 1715.

(*) Hunc librum ipse possideo. Index est: *Institutionum Ethicarum siue staterae morum, aptis rationum momentis libratae Tomus I. complectens mores circa amabilia homini,* auctore THOMA Anglo, ex Albiis East-Saxonum Londini 1660. in 8. *Statera appensa quoad salutis consequendae facilitatem.* Auctore I. S. prodiit Londini 1661. Est liber THOMAE ALBIO oppositus. Eodem anno vulgatum est: *Staterae aequilibrium, quoad salutis consequendae facilitatem,* auctore THOMA Anglo, ex Albiis. Eodem etiam prodiit: *Apologia pro doctrina sua aduersus calumniatores* auctore THOMA ALBIO. Conf. Ep. CCII. n. 8.

(**) Definitionem iustitiae Aristotelicam contra GROTIVM defendit LEIBNITIVS in Corollar. IV. dissertat. de *complexionibus* Lipsiae 1666. hab. addito. De eadem materia in praefatione *Codici iuris gentium diplomatico* praemissa disputat.

(***) LEIBNITIVS in praefatione Codici iuris gentium diplomatico praefixa: *Amare, inquit, siue diligere, est felicitate alterius delectari, vel quod eodem redit, felicitatem alienam asciscere in suam. Vnde difficilis nodus soluitur, magni etiam in Theologia momenti, quomodo amor non mercenarius detur, qui sit a spe metuque et omni vtilitatis respectu separatus. Scilicet quorum felicitas delectat, eorum felicitas nostram ingreditur. Nam quae delectant, per se expetuntur. Et vti pulchrorum contemplatio ipsa iucunda est, pictaque tabula Raphaelis intelligentem afficit, etsi nullos census ferat, adeo vt in oculis deliciisque feratur, quodam simulacro amoris, ita quum res pulchra simul etiam felicitatis est capax, transit affectus in verum amorem. Superat autem diuinus amor alios amores, quod Deus cum maximo successu amari potest, quando Deo simul et felicius nihil est, et nihil pulchrius felicitateque dignius intelligi potest. Et quum idem sit potentiae sapientiaeque summae, felicitas eius non tantum ingreditur nostram sed et facit.*

EPISTO-

EPISTOLA CCI.

I. *De carminibus vernaculis ad latinorum morem scriptis.* II. *De origine Francorum.* III. *De inadmiratione.* IV. *De Schelhammeri institutionibus medicis.* V. *De Petri Saxii libro de rebus Arelatensibus.* VI. *De Episcopatu Ripensi.* VII. *De Sperlingii obitu et* VIII. *De Nigello.* IX. *Epigramma aliquod.* X. *De societate subscriptoria.*

I. Responsionem adhuc ad binas litteras humanissimas et bona fruge refertas Tibi debeo. Versus meos Anapaesticos Germanicos, olim ad Latinorum morem, scriptos non inuenio, neque alicuius inde particulae nunc recordari possum. Illud mihi tunc videbatur id genus prae caeteris plerisque Germanicae poesi adoptabile esse. Scripsi ad amicum Gallum, vt habeam totum Psalmum, cuius initium est: Si tout puissant n'établit la maison etc. sed nondum impetraui. Quaeram carmen meum Epicedium, vt Tibi mittere possim, si tanti est.

II. Dn. Förstero bibliopolae nostro id negotii dedi, vt cum aliis litteris (sed mere indicibus) bina ad Te exemplaria Schediasmatis de origine Francorum mittat ex nundinis Lipsiensibus, vbi aliquem ex vestris fore puto. Rogoque, vt ex iis vnum Illustrissimo Holstenio cum multa cultus significatione transmittas.

III. Th. Albivs etiam Apologiam quandam breuem suae Morum Staterae edidit. Vbi legatur, qui insultat interpretibus Horatianis

circa illud: Nil admirari etc. nescio, an iam significauerim; est in noua Bibliotheca bibliopolii Rengeriani Hallensis part. 21. 1712. 8.

IV. Vtinam Celeberrimo SCHELHAMMERO obstetricias manus afferre cum efficacia possem! Hactenus bibliopolas inobsequentes habui.

V. PETRI SAXII liber, qui desideratur, et quem habere se dixit olim KNESEBECCIVS; is est, cuius tanquam suppressi in Gallia mentionem facit GASSENDVS in vita PEIRESCII. Agit de rebus Ecclesiae Arelatensis, et continet diplomata, ex quibus patet, Imperatores vel Reges Romanorum seris adhuc temporibus ius in eo regno exercuisse; si nactus est Dominus KRVSEKENIVS vtiliter edet: Nihil hoc ad Ditmarsos vel Holsatos.

VI. Quia Dn. TERPAGRIVS de Ripae vrbis rebus agit, forte ab ipso notari non inutile erit in Concilio Ingelhemensi A. C. 948. in Tomis Conciliorum extante nominari LIOPTACVM Episcopum Ribunensem, item eundem ibi dici LIDACVM Ribuensem. Quis hic Episcopatus esset editores diuinare non potuerunt, sed est Ripensis, et is fuit primus Episcopus sedis ab OTTONE M. illic institutae. Vnde etiam tempus institutionis circiter discitur; ibidem etiam nominantur Episcopi Reswicensis et Arhusiensis. Vocabula illa (nonnihil corrupta) editoribus Conciliorum monstra fuere. Vides antiquam loci orthographiam exposcere non Rypen sed Ryben vel Rybum, quod fortasse Dn. TERPAGRIO non ingratum erit nosse, quia Etymologiam quaerit.

VII.

VII. De SPERLINGII obitu doleo. Curandum, ne praeclari eius labores intercitant. Mirum, si tria millia imperialium pro Annalibus Hamburgensibus offerentem repulit. Batauus quidem bibliopola, homo haud dubie malae fidei, missum ab eo, nouaeque editioni paratum SAXONEM Grammaticum improbe suppressit; et credo nunc edet, scilicet vt auctorem laboris praemio defraudaret. Idem fecit quidam talis LAVTERBACHII Professoris Wolffenbutel. libello Architectonico; quum enim accepisset, viuo amplius non respondit, mortuo libellum edidit. En sordes horum hominum! Dn. WEIDMANNVM, nunc extinctum, quem ais de claris Lipsiensibus scripsisse, ignoraui, suspicor ipsum esse Lipsiensem, an libellum illum absoluit?

VIII. NIGELLVS nescio, an alibi, quam Viennae extat, vidi citatum a FREHERO; id suspicionem fecit, etiam alibi haberi. HADRIANVS quoque VALESIVS versiculos ex ipso citat; ego quum Viennae essem, quaedam inde excerpsi, atque inter alia locum de Francorum origine ex Danis.

IX. Ecce distichon ad me missum:

Papa, Patres, mulier, Rex victus, Rex quoque fictus
Vix alii lacrymas dant, LVDOVICE, Tibi.

X. Cogitaui aliquando, an non posset iniri societas subscriptoria inter eruditos, Germaniae inprimis, quae ab auiditate bibliopolarum eos vindicaret, qui non edunt, quae merentur, sed quae ipsis plerumque ignaris placent, aut

quae vili pretio, vel nullo extorquere possunt autoribus, posset societas iniri ea lege, vt socii libris emendis subscriberent, si non omnibus, certe plerisque suae aut pro arbitrio electae, vnius, alteriusue facultatis, vel saltem materiae, quicunque a concilio societatis fuissent approbati. Haberent autem subscriptores libros illos pretio modico, quod sufficeret ad indemnitatem editionis, id est, per quod statim fundus cum vsuris recuperaretur, reliqua exemplaria venderentur tanto carius iis, qui desiderarent: putem, hanc societatem tandem bibliopolas in ordinem redacturam, et fundum sibi comparaturam, qui subleuandae eruditorum bonae mentis inopiae, atque etiam experimentis vel indagationibus vtilibus inseruire posset. Quaeso cogita hac de re, et mentem Tuam mihi significa. Si quis eruditus huius consilii conscius iter faceret per Germaniam, posset corrogare socios; Nec dubitem, re semel constituta, etiam Magnates in partem venturos, et plerique Bibliothecarum Curatores, quum sint ipsi eruditi, non essent defuturi apud Principes, Respublicas, vel vrbes, Academias, Monasteria; Superest, vt aliquem inueniamus, qui itineri tali promtus, aptusque sit, posset aliquando itineris sumtus recuperare etiam cum lucro, atque interim vtilissimo ac iucundissimo discursui aliquod tempus impenderet. Quum olim Dn. LEOPOLDVS ICtus Lubecensis iter faceret, et Germaniam literatam conquireret, potuisset hoc agere, sed tunc nemini huius rei in mentem venit. Inseruiret ergo

go hoc iter constituendae simul litteratae Germaniae, posset accedere praetextus a thermis vel acidulis; praestaret illi Antipietistico Schelvigii, cuius itinerarium edidit ipse; nec dubitarem, quin ab Imperatore impetrari possent egregia priuilegia, et fortasse etiam aliquod subleuamentum, idque ego propemodum spondere auderem. Dudum haec cogitaui, sed nunc impetus exequendi inter scribendum venit.

. . . . Dii ne hunc ardorem mentibus addunt
Euryale, an sua cuique Deus fit dira cupido?

Hoc consilium, praeter Dn. Eccardvm meum, nondum cuiquam aperui; itaque rogo, vt apud Te contineas, dum maturum fiat; alioqui de bibliopola omni dici poterit, quod de cupidine, initio poematis Ouidiani de remedio amoris

Bella mihi, video, bella parantur, ait.

Vtinam Tibi ipsi hoc agere vacaret, aptiorem certe noui neminem. Certe nihil esse puto itinere literato iucundius. Sed vereor, ne sim paullo apud Te familiarior, audaciorque quam par sit. Quod superest, vale et faue. Dabam Hanouerae 15. Oct. 1715.

EPISTOLA CCII.

I. *De societate subscriptoria.* II. *De Rostgardi, Eccardi, Claubergii, Schilteri de antiquo Teutonismo obseruationibus.* III. *De libro de tribus impostoribus.* IV. *De hymno gallico praecellentissimo.* V. *De Aloysii Nouarini collectione axiomatum.* VI. *De Francorum origine.* VII. *De Godofredo Oleario atque* VIII. *De Thoma Albio eiusque scriptis.*

I. De societate subscriptoria consilium Tuum expetere inter scribendum in mentem venit; Ipse de ea serio cogitare non ausim. Neque vllum ibi praesidium affectarem, sed malim Aristocratiae locum esse. Non desunt Germaniae, qui haec pulchre agant, etiam post discessum meum. Et mihi satis his vacare ne fas est quidem. De difficultatibus recte mones, ex quibus potissima est potentia gentis bibliopolaris. Sed credo potior numerus est, et sufficiens ab alia parte: nec illi consilium apud exteros receptum vllo iure reprehendere possunt. Et fortasse potiores aliquot bibliopolae lucri spe accederent ipsi, quam corporis sui vtilitati facile praeferrent, inito in aliquod tempus pacto, et societate constabilita aliquando cessaturo. Sed haec, vt dixi, vix confieri possunt, ni oriatur aliquis, qui rem vt suam agat, et per Germaniam, alterius caussae obtentu, circumeat.

II. Illustrissimus ROSTGARDVS Thesauros Teutonicos si meae fidei permittere volet, spondeo, non tantum servatum iri, vt par est, collocandos in loco tuto et publico, et ad quem aditus pateat eruditis, sed etiam mature in vsum publicum per typos (etsi per partes) transferendos. (*) Dn. ECCARDVS meus, quidquid aliis laboribus suffurari potest, huic impendit. Ex multis antiquis Glossariis vnum confecit, quotidie aliquid addit. Nacti sumus nuper CLAVBERGII meditationes et collectanea linguae Teutonicae multum habentia bonae frugis, etsi antiqui Teutonismi vsus illi

defu-

desuerit. Exiguum libellum de arte Etymologica linguae Germanicae CLAVBERGIVS edidit, vnde ingenium viri etiam in hoc genere apparet, (**) nam in Philosophia, atque etiam in Theologia clarum multiplicia scripta fecere. Caeterum etiam Rex adhuc Elector, quum audisset de his laboribus, fauit studio, accedente Summi Viri BERNSDORFFII suffragio. Itaque spero, quae SCHILTERVS, Vir clarissimus aliique sperari iussere, tandem in rem collatum iri, me qualicunque ergodiocta. Tametsi Dn. ECCARDVS, qui magno ardore in haec fertur, stimulo opus non habeat. Praeparata mente Viri summi, cognitisque eius iussis aut conditionibus, ipse ad eum scribam. Antiquitates quasdam Catecheticas Teutonicas Dn. ECCARDVS cum notis edidit, quas illi mittam, si nondum vidit.

III. Memorabile est, quod significas, fragmentum libri, de tribus impostoribus, apud CHRISTIANVM WORMIVM Episcopum Hafniae exstare. Habesne eius rei testes oculatos? eos mihi nomina quaeso. Eos adhuc viuere puto, meus amplius non viuit.

IV. Scripseram Berolinum ad Dn. ANCILLONIVM, vt ex eruditis Gallis, qui illic sunt, quaereret de illis versibus, quorum initium: Si le tout puissant n' établit la maison etc. sed ille nuper extinctus non respondit; itaque quaeram ex amicis Parisinis.

V. ALOYSII NOVARINI opus visum est mihi, non spernendum, tum ob multitudinem axiomatum, (quae vocat) vt non multa

eum fugerint, ex quibus meliora ſeligi poſſent, tum quia vbique citat Auctores, ex quibus inſpectis diſci poteſt axiomatis vſus. Itaque qui aliquid in hoc genere molietur, recte faciet, ſi NOVARINI copiis in rem ſuam vtatur.

VI. Nupero curſore exemplum libelli mei de Francorum origine ad Te miſſum eſt, non correctis erratis, quia ſerius mittere in mentem venerat, quam vt ante diſceſſum curſoris corrigi poſſent. Sunt autem aliquot grauia et ſenſum plane peruertentia; ea in illo correxi, quod nunc accipis, ſed quid facias his hominibus, qui talia curare debent?

VII. GODOFREDVM OLEARIVM, Lipſienſem, Virum doctrina inſignem in vitae periculo eſſe valde dolui; ſed magis doleo iam obiiſſe, vt iam mihi nunciatur.

VIII. THOMAS ALBIVS fuit addictus Romanae Eccleſiae, ſed inuiſus fere Monachis et Ieſuitis, et ſcripta eius cenſuris notata ſunt. Inter caetera ſonus buccinae ſane plenus meditationibus ingenioſis, ſed non raro paradoxis. Scripſit etiam Euclidem Phyſicum, et Euclidem Metaphyſicum, ſed vterque mihi viſus eſt parum Euclideus; quaedam etiam eius adiecta ſunt ad DIGBAEI opus de immortalitate animae; nam huius fidus Achates, et ſcribendi, vt arbitror, adiutor fuit. Voluit etiam quaedam dare in Geometria, ſed vbi miro paralogiſmo lapſus eſt. Quaedam etiam Aſcetica, ſed ſermone Anglico ſcripſit, et ſane vbique ingenium ſingulare tralucet. Voluit etiam Funiculum Lini defendere contra BOYLII, et aliorum

rum veriſſimam ſententiam de grauitate et vi elaſtica aeris. Ego curioſus operum eius inſpe-ctor fui, quod animaduerterem, in pleriſque eſ-ſe aliquid non ſpernendum. Quod ſupereſt, vale et faue. Dabam Hanouerae. 19. Nou. 1715.

(*) FRIDERICVS ROSTGARD Conſil. Status Reg. Dan. Emendationes ſuas in OTTFRIDI opus e Codice Vaticano, quum Romae eſſet, collectas et tamquam ad Lydium lapidem exploratas, cum patre meo communicauit, qui illas edi curauit opera IO. GEORGII ECCARDI, cuius extat de Etymologia linguae Germanicae opus.

(**) Non ſolum CLAVBERGII Etymologiam Teutonicam LEIBNITIVS inſeruit collectaneis ſuis Etymologicis, quae vulgauit ECCARDVS, ſed etiam notitiam de CLAVBERGII arte Etymol. Teutonum e Philoſ. fontibus deriuata et 1663. Duisburgi in 8. edita inuenies ſub initium libri, cuius index: C. F. WEICHMANNS Poeſie der Niederſachſen Parte tertia Hamb. 1726. edita.

EPISTOLA CCIII.

Noua litteraria.

Ad celeberrimum Dn. KOENIGSMANNVM veſtrum dudum dedi litteras reſponſorias, quas ei redditas ſpero. Apud vos iam imminutum intelligo mali contagioſi metum, ſed aliud contagium ex Megapolitano tractu ad vos peru... c, vtinam altero non magis ſaeuum. Gratulor vobis inſignes Viros, qualis eſt SCHOEPFERVS. Aiebant id agi, vt Halis STAHLIVS Medicus ad vos euocaretur, ſed ille non libenter relinquit ſuum nidum. Magnum aliquid a Breitenauiana rerum Cimbricarum Hiſtoria expecto. De Hanſeniana libraria ſupellectile plura diſcere aliquando gratum erit. Indicem

edi, e re foret; vellem nosse, quanti iudicent, modo aequum sit pretium. Aiunt Hispanicis libris maxime abundare hanc Bibliothecam. Sed ii vix curantur a plerisque, quum magis raritate, quam bonitate commendentur. Ego tamen vel ideo non spernendos censeo. A GRIMARETO interdum litteras accipio, sed paullo rarius, mea potissimum culpa, qui non nisi paullo tardius respondere possum. Molitur ille nouam descriptionem totius Galliae peregrinantibus profuturam. Quod superest, vale et faue. Dabam Hanouerae 1715.

EPISTOLA CCIV.

I. *De vsu gladiorum in Academiis.* II. *De libro de tribus impostoribus.* III. *De Hackmanno, Nouarino et Leibnitii scripto de origine Francorum atque* IV. *De auctore hymni cuiusdam Gallici praecellentissimi.*

I. Verissimum est quod scribis de pessimo vsu gladiorum in Academiis Germaniae. Sed nisi Principes casu aliquo atroci excitati huc animum aduertant, nihil agetur; Oporteret initium remedii a Saxonibus proficisci, qui sibi, vt bene notasti, directorium arrogant etiam in his rebus. Sed difficile est, tollere inolita vitia, et sunt quae etiam specie quadam virtutis imponunt.

II. Gratias ago pro indicio de libro illo famosissimo, sed fere nuspiam viso. Vbi quaeso venduntur libri Meyeriani, et vnde potest haberi eorum Catalogus? Ego nondum vidi; fac mihi quaeso hanc gratiam, et submitte nu-

merum, et ipſa verba Catalogi, vbi mentio libri illius horribilis, idque vt quamprimum facias peto. (*)

III. Velim etiam noſſe, an Dn. HAKEMANNVS adhuc apud vos agat? Gratum eſt, quod NOVARINVM habetis. Mihi videbatur non ſpernendus, et ei profuturus, qui aliquid in hoc genere praeclari moliretur. Gratum erit diſcere, quando Dn. frater Tuus in Galliam redibit. Iudicium Illuſtriſſimi Dn. HOLSTENII et illuſtris ROSTGARDII aliorumque eruditorum Danorum de meo Schediaſmate aliquando intelligere gratum erit.

IV. Dn. LA CROZE vnus ex Bibliothecariis Regis Boruſſiae ſcribit mihi: Auctorem Carminis Saphici Gallici, cuius primam ſtropham ad Te miſeram, citari PHILIPPVM DE PORTIS (Philippe des Portes) in libro Gallico inſcripto: Nouuelle Methode pour apprendre la langue Latine. Philippi huius Pſalmorum verſionem Gallicam exſtare, ſed eſſe paullo rariorem, et veri ſimiliter illic exſtituram Verſionem Pſalmi 127. vnde haec ſtropha ſumta eſt integra. Interea vale et faue. Dab. Hanou. 24. Decembr. 1715.

(*) De libro *de tribus impoſtoribus*, qui in Mayeriana Bibliotheca fuit, conf. epiſtola Summi. Reu. D. BALTHASARIS Theologiae in Acad. Grypswald. Profeſſ. quae extat in *Recueil de litterature, de Philoſophie et d' hiſtoire* Amſt. 1730. ed. p. 33. ſ. Ceterum, quum liber de tribus impoſtoribus a FRIDERICO II. Imperatore ſcriptus eſſe dicatur, ni fallor, teſtimonio PETRI de VINEIS nullo negotio poterit probari nunquam hunc librum fuiſſe exaratum. Videlicet lib. I. Ep. Cap. XXXI p. 211. edit. Baſil. 1566.

1566. PETRVS de VINEIS ipsius Imperatoris FRIDERICI II. nomine. *Inseruit enim*, inquit, *falsus* CHRISTI *vicarius fabulis suis, nos Christianae fidei religionem recte non colere, ac dixisse tribus seductoribus mundum esse deceptum, quod absit de nostris labiis processisse, quum manifeste confiteamur vnicum* DEI *filium coaeternum et coaequalem Patri ac Spiritui S. Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM, *ab initio et ante saecula genitum etc.* conf. Patris mei praefatio praemissa auito libro *de tribus impostoribus magnis* recuso Hamb. 1700. in 4. Inibi et haec verba ex epistola PETRI BAYLE ad parentem data inuenias: *Falsissimum est, exstare in Bibliotheca Baldeana hic Roterodami librum de tribus impostoribus, videnturque mihi omnes suspecti esse debere vel nomine fidei, vel nomine diligentiae, quicunque iactant, se tale opus manibus triuisse.*

EPISTOLA CCV.

I. *De libro de tribus impostoribus.* II. *De Bodini Colloquio.* III. *De Holstenii de schediasmate Leibnitii de origine Francorum iudicium desideratur.* IV. *De Loewenhoeckii obseruationibus anatomicis.*

I. Librum, qui in Meyerianae Bibliothecae indice de tribus Impostoribus audacter appellatur, tanti esse non puto, vt magno pretio redimatur. Cuiuis improbo et mediocriter docto tales nugas comminisci facile est. Vt vero haberi possit tale aliquid pro libro huius argumenti antiquo dudum iactato, deberet hoc doceri ex antiquioribus manuscriptis. Ego non paucas huius generis nugas vidi, semperque iudicaui, vix dignas esse quae legantur.

II. Vnum opus BODINI excipio, quod inscripsit de arcanis sublimium colloquium Heptaplomeres. In eo enim haud spernendam eru-

eruditionem esse, negari non potest; vt in omnibus BODINI. Itaque vellem edi viro docto cum dignis argumento animaduersionibus. Auctor colloquentes introducit Romanistam, Euangelicum, Reformatum, Iudaeum, Mahumetanum, Naturalistam, Atheum. Scena est Venetiis in aedibus colloquutoris Romanistae. Sententiam quisque suam non sine verborum moderatione tuetur: sed nihil definitur; Nisi quod Romanista semper suum solenne Epiphonema interponit: Ecclesiae credendum esse. Multa tanguntur, pauca fundotenus exhauriuntur. Ita enim magna futura fuisset libri moles; Qui in talem librum animaduertere vellet, deberet esse versatus in Philosophia, in Philologia sacra, seu linguis originalibus librorum sacrorum, atque etiam in Rabbinismo, ac denique in lectione Patrum Graecorum et Latinorum.

III. Facile intelligo, Illustrissimum HOLSTENIVM ob grauissima negotia dissertatiunculam meam non nisi per transennam inspicere potuisse. Vbi magis vacabit iudicium eius nosse opto, praesertim de Danicis, circa quae dixi aliquid noui.

III. LEEVWENHOEKIVS celeberrimus in Batauis per Microscopia obseruator quasdam suas obseruationes Anatomicas, nondum editas ad me misit. Eas ego misi ad Dn. SCHELHAMMERVM, et petiui, vt expenderet; nam solebat loqui de LEEVWENHOEKIO paullo contemtius, quam mihi Viri diligentia, et studium veritatis mereri videbatur. Pete quaeso,

vt

vt cum iudicio suo mihi remittat, vt Viro vberius respondeam: hactenus enim respondi tantum breuiter et praeliminariter. Iudicium autem debet esse remotum ab omni acerbitate, ne Virum offendamus. Certum est ab HVGENIO, summi iudicii Viro, a societate Anglica, et ipso HOOKIO in Microscopiis aemulo aestimatas, et minime pro commentitiis habitas fuisse LEEVWENHOEKII obseruationes. Quod superest, vale et faue. Dab. Hanouerae 21. Ian. 1716.

EPISTOLA CCVI.

I. *Io. Burch. Maius laudatur.* II. *De festo Iuel.* III. *De Fr. Th. Koblio et Frid. Kosio.* IV. *De Rosgardo.* V. *De origine Francorum.* VI. *De Schelhammeri institutionibus medicis.* VII. *De Bodini colloquio, Lintrupio et Hackmanno.*

I. Quae pulchra ex penu Tua communicasti, recte accepi. Pulchra sunt Tua omnia, itaque non mediocri me beneficio hac transmissione affecisti. Gaudeo Dn. MAIVM vestrum, insignem virum ab eminentissimo SCHOENBORNIO pro merito aestimari; Dictione non minus, quam rebus et cogitatis placet.

II. Circa septentrionalium festum brumale, dictum Iuel, ego BEDAE sententiam amplector, a Wheel rota reuertentis sc. solas dictum notauit. Doctissimus SPERLINGIVS non fuit felix in Etymis.

III. Laudabile est institutum Dni KOHLII Rectoris vestri, id agentis, vt fugientes litteras sistat. Hactenus Dn. KOESIVM ignoraui, sed

ſed meretur profecto non ignorari. Videtur enim profundius ſolito in nouam Analyſin inſpexiſſe, et credo, ſi huc intendat animum, poſſe ab ipſo conferri aliquid ad augendam ſcientiam. Itaque plura de eo noſſe gratum erit.

IV. Ampliſſimi ROSTGARDI pollicitatione quamquam benigniſſima non abutar. Eſt ille dominus rerum ſuarum. Ego nihil opto, vt praeclari eius labores in publicam vtilitatem conuertantur.

V. De origine Francorum Balthica, (quam nuper Dn. GVNDLINGIVS paullo frigidius, ni fallor, impugnauit Halis) noſſe ſententiam egregiorum inter Danos virorum, pergratum erit, ſed inprimis ſummi viri illius, cui meo nomine miſiſti.

VI. SCHELHAMMERI opus inſigne poſthumum curaui ad editionem procurandam commendari egregio LOCHNERO, inter Naturae curioſos Medicos eminenti. Gudianis laudibus mire faueo, et vel ideo Programma Maianum perplacuit. Gaudeo, praeclara manuſcripta ab ipſo collecta diſſipatione praeſeruata eſſe. Vtinam pleraque ipſius manuſcripta non periiſſent. Pro Leevwehoekianis remiſſis gratias ago. Neſcio, an Schelhammerianum opus Lipſia ſit remiſſum, fortaſſe gener Dn. D. BVRCHARDVS opus praeclarum ſoceri vtiliter augebit ex recentiorum placitorum Hiſtoria.

VII. BODINI opus cum viri eruditi animaduerſionibus exquiſitis edi mereretur. Hortandus eſt Dn. LINTRVPIVS, vt inſtitutum exſe-

exſequatur ſubinde publicandi cimelia litteraria. Perſiſtitne apud vos Dn. HAKEMANNVS? Audio Profeſſionem ſperare. Quod ſupereſt, vale et faue. Dab. Hanou. 19. Mart. 1719.

EPISTOLA CCVII.

De ſcripto Leibnitii de origine Francorum.

Doleo, me ſpe colloquendi cum Dn. fratre Tuo excidiſſe. Quod ſi mihi aliquando notitiis literariis ex itinere ſuo fauebit, plurimum vobis debebo. Gratum mihi erit videre obiectiones inſignium virorum REIZERI et MAGNAEI ſcripto comprehenſas. Ita enim talibus ex diuerſis regionibus mihi oblatis materia ſecundae partis dabitur, qua ſatisfacere tentabo, ingenue tamen agniturus, quae forte emendari aliquid iubebunt. Miſi reſponſionem meam ad Dn. GVNDLINGIVM Germanico ſermone, vt, ſi lubet, eam Gundlingianis ſuis inſerat, refutaturus, ſi videbitur. Mirum non eſt, Romanos longinquas Francorum origines ignoraſſe, nihil illi de Baioariis, nihil de Thuringis, vnde ſint orti, qui tamen ſerius aduenere, cum iam notiores hi populi Romanis eſſent. Danos ne nominant quidem. Saxones, niſi vnus PTOLOMAEVS, auctor Graecus, obiter dixiſſet, tranſalbinos fuiſſe ab illis non haberemus. Ego putabam dudum confectum ab eruditis, Vandalos non Slauonicam ſed Teutonicam gentem fuiſſe, et prorſus a Winidis diſtingui debere. Et gentes Maris Balthici cis Viſtulam olim Germanicas habendas,

qui-

quibus in iam exhaustas tot migrationibus regiones Vinidi demum successere. Nec video, cur non gentes inter Eidoram et Oderam partem populorum emittere communi consilio potuerint, quum agnatae essent, lingua moribusque iisdem; et cur non illis adiungere se potuerint etiam ex Saxonibus et Danis quidam (vti postea, cum Britanniam Saxones, Angliam futae inuasere) nam quod de odio aduersus Danos dicitur, fundamento carere arbitror, nec oriri nisi ex figmentis posterorum, qui perpetua inter Saxones, Danosque bella nobis narrant. Mihi iudicium Tuum de his rebus intelligere gratum erit, pariter atque aliorum amicorum. De vlterioribus Francorum Originibus nihil quod dicam habeo, quum desint autoritates. Vereor, ne benignitate Tua abutar. Vale et faue. Dabam Hanou. 8. May 1716.

EPISTOLA CCVIII.

I. *Petri M. Russorum Imperat. elogium.* II. *De Sperlingianis et meritis Danorum in studium Lexicographicis.* III. *De carminibus fatiloquis.*

I. Quum nobis tam vicinus fueris, doleo Hanoueram adiri non potuisse, vt conspectu Tuo frui liceret. Ego ad acidulas Pyrmontanas aliquot dies profectus sum, vt magni Russorum Monarchae exporrecta gratia fruerer; eidem per biduum, quod deinde Herrenhusae prope Hanoueram egit, adhaesi; miratus in tanto Principe non tantum humanitatem, sed et notitiam rerum et iudicium acre.

quae vili pretio, vel nullo extorquere possunt autoribus, posset societas iniri ea lege, vt socii libris emendis subscriberent, si non omnibus, certe plerisque suae aut pro arbitrio electae, vnius, alteriusue facultatis, vel saltem materiae, quicunque a concilio societatis fuissent approbati. Haberent autem subscriptores libros illos pretio modico, quod sufficeret ad indemnitatem editionis, id est, per quod statim fundus cum vsuris recuperaretur, reliqua exemplaria venderentur tanto carius iis, qui desiderarent: putem, hanc societatem tandem bibliopolas in ordinem redacturam, et fundum sibi comparaturam, qui subleuandae eruditorum bonae mentis inopiae, atque etiam experimentis vel indagationibus vtilibus inseruire posset. Quaeso cogita hac de re, et mentem Tuam mihi significa. Si quis eruditus huius consilii conscius iter faceret per Germaniam, posset corrogare socios; Nec dubitem, re semel constituta, etiam Magnates in partem venturos, et plerique Bibliothecarum Curatores, quum sint ipsi eruditi, non essent defuturi apud Principes, Respublicas, vel vrbes, Academias, Monasteria; Superest, vt aliquem inueniamus, qui itineri tali promtus, aptusque sit, posset aliquando itineris sumtus recuperare etiam cum lucro, atque interim vtilissimo ac iucundissimo discursui aliquod tempus impenderet. Quum olim Dn. LEOPOLDVS ICtus Lubecensis iter faceret, et Germaniam literatam conquireret, potuisset hoc agere, sed tunc nemini huius rei in mentem venit. Inseruiret er-

go hoc iter constituendae simul litteratae Germaniae, posset accedere praetextus a thermis vel acidulis; praestaret illi Antipietistico Schelvigii, cuius itinerarium edidit ipse; nec dubitarem, quin ab Imperatore impetrari possent egregia priuilegia, et fortasse etiam aliquod subleuamentum, idque ego propemodum spondere auderem. Dudum haec cogitaui, sed nunc impetus exequendi inter scribendum venit.

. . . . Dii ne hunc ardorem mentibus addunt
Euryale, an sua cuique Deus fit dira cupido?

Hoc consilium, praeter Dn. Eccardvm meum, nondum cuiquam aperui; itaque rogo, vt apud Te contineas, dum maturum fiat; alioqui de bibliopola omni dici poterit, quod de cupidine, initio poematis Ouidiani de remedio amoris

Bella mihi, video, bella parantur, ait.

Vtinam Tibi ipsi hoc agere vacaret, aptiorem certe noui neminem. Certe nihil esse puto itinere literato iucundius. Sed vereor, ne sim paullo apud Te familiarior, audaciorque quam par sit. Quod superest, vale et faue. Dabam Hanouerae 15. Oct. 1715.

EPISTOLA CCII.

I. *De societate subscriptoria.* II. *De Rostgardi, Eccardi, Claubergii, Schilteri de antiquo Teutonismo obseruationibus.* III. *De libro de tribus impostoribus.* IV. *De hymno gallico praecellentissimo.* V. *De Aloysii Nouarini collectione axiomatum.* VI. *De Francorum origine.* VII. *De Godofredo Oleario atque* VIII. *De Thoma Albio eiusque scriptis.*

I. De societate subscriptoria consilium Tuum expetere inter scribendum in mentem venit; Ipse de ea serio cogitare non ausim. Neque vllum ibi praesidium affectarem, sed malim Aristocratiae locum esse. Non desunt Germaniae, qui haec pulchre agant, etiam post discessum meum. Et mihi satis his vacare ne fas est quidem. De difficultatibus recte mones, ex quibus potissima est potentia gentis bibliopolaris. Sed credo potior numerus est, et sufficiens ab alia parte: nec illi consilium apud exteros receptum vllo iure reprehendere possunt. Et fortasse potiores aliquot bibliopolae lucri spe accederent ipsi, quam corporis sui vtilitati facile praeferrent, inito in aliquod tempus pacto, et societate constabilita aliquando cessaturo. Sed haec, vt dixi, vix confieri possunt, ni oriatur aliquis, qui rem vt suam agat, et per Germaniam, alterius caussae obtentu, circumeat.

II. Illustrissimus ROSTGARDVS Thesauros Teutonicos si meae fidei permittere volet, spondeo, non tantum servatum iri, vt par est, collocandos in loco tuto et publico, et ad quem aditus pateat eruditis, sed etiam mature in vsum publicum per typos (etsi per partes) transferendos. (*) Dn. ECCARDVS meus, quidquid aliis laboribus suffurari potest, huic impendit. Ex multis antiquis Glossariis vnum confecit, quotidie aliquid addit. Nacti sumus nuper CLAVBERGII meditationes et collectanea linguae Teutonicae multum habentia bonae frugis, etsi antiqui Teutonismi vsus illi desu-

desuerit. Exiguum libellum de arte Etymologica linguae Germanicae CLAVBERGIVS edidit, vnde ingenium viri etiam in hoc genere apparet, (**) nam in Philosophia, atque etiam in Theologia clarum multiplicia scripta fecere. Caeterum etiam Rex adhuc Elector, quum audisset de his laboribus, fauit studio, accedente Summi Viri BERNSDORFFII suffragio. Itaque spero, quae SCHILTERVS, Vir clarissimus aliique sperari iussere, tandem in rem collatum iri, me qualicunque ergo dio cta. Tametsi Dn. ECCARDVS, qui magno ardore in haec fertur, stimulo opus non habeat. Praeparata mente Viri summi, cognitisque eius iussis aut conditionibus, ipse ad eum scribam. Antiquitates quasdam Catecheticas Teutonicas Dn. ECCARDVS cum notis edidit, quas illi mittam, si nondum vidit.

III. Memorabile est, quod significas, fragmentum libri, de tribus impostoribus, apud CHRISTIANVM WORMIVM Episcopum Hafniae exstare. Habesne eius rei testes oculatos? eos mihi nomina quaeso. Eos adhuc viuere puto, meus amplius non viuit.

IV. Scripseram Berolinum ad Dn. ANCILLONIVM, vt ex eruditis Gallis, qui illic sunt, quaereret de illis versibus, quorum initium: Si le tout puissant n' établit la maison etc. sed ille nuper extinctus non respondit; itaque quaeram ex amicis Parisinis.

V. ALOYSII NOVARINI opus visum est mihi, non spernendum, tum ob multitudinem axiomatum, (quae vocat) vt non multa

eum fugerint, ex quibus meliora ſeligi poſſent, tum quia vbique citat Auctores, ex quibus inſpectis diſci poteſt axiomatis vſus. Itaque qui aliquid in hoc genere molietur, recte faciet, ſi NOVARINI copiis in rem ſuam vtatur.

VI. Nupero curſore exemplum libelli mei de Francorum origine ad Te miſſum eſt, non correctis erratis, quia ſerius mittere in mentem venerat, quam vt ante diſceſſum curſoris corrigi poſſent. Sunt autem aliquot grauia et ſenſum plane peruertentia; ea in illo correxi, quod nunc accipis, ſed quid facias his hominibus, qui talia curare debent?

VII. GODOFREDVM OLEARIVM, Lipſienſem, Virum doctrina inſignem in vitae periculo eſſe valde dolui; ſed magis doleo iam obiiſſe, vt iam mihi nunciatur.

VIII. THOMAS ALBIVS fuit addictus Romanae Eccleſiae, ſed inuiſus fere Monachis et Ieſuitis, et ſcripta eius cenſuris notata ſunt. Inter caetera ſonus buccinae ſane plenus meditationibus ingenioſis, ſed non raro paradoxis. Scripſit etiam Euclidem Phyſicum, et Euclidem Metaphyſicum, ſed vterque mihi viſus eſt parum Euclideus; quaedam etiam eius adiecta ſunt ad DIGBAEI opus de immortalitate animae; nam huius fidus Achates, et ſcribendi, vt arbitror, adiutor fuit. Voluit etiam quaedam dare in Geometria, ſed vbi miro paralogiſmo lapſus eſt. Quaedam etiam Aſcetica, ſed ſermone Anglico ſcripſit, et ſane vbique ingenium ſingulare tralucet. Voluit etiam Funiculum Lini defendere contra BOYLII, et aliorum

rum verissimam sententiam de grauitate et vi elastica aeris. Ego curiosus operum eius inspector fui, quod animaduerterem, in plerisque esse aliquid non spernendum. Quod superest, vale et faue. Dabam Hanouerae. 19. Nou. 1715.

(*) FRIDERICVS ROSTGARD Consil. Status Reg. Dan. Emendationes suas in OTTFRIDI opus e Codice Vaticano, quum Romae esset, collectas et tamquam ad Lydium lapidem exploratas, cum patre meo communicauit, qui illas edi curauit opera IO. GEORGII ECCARDI, cuius extat de Etymologia linguae Germanicae opus.

(**) Non solum CLAVBERGII Etymologiam Teutonicam LEIBNITIVS inseruit collectaneis suis Etymologicis, quae vulgauit ECCARDVS, sed etiam notitiam de CLAVBERGII arte Etymol. Teutonum e Philos. fontibus deriuata et 1663. Duisburgi in 8. edita inuenies sub initium libri, cuius index: C. F. WEICHMANNS Poesie der Niedersachsen Parte tertia Hamb. 1726. edita.

EPISTOLA CCIII.

Noua litteraria.

Ad celeberrimum Dn. KOENIGSMANNVM vestrum dudum dedi litteras responsorias, quas ei redditas spero. Apud vos iam imminutum intelligo mali contagiosi metum, sed aliud contagium ex Megapolitano tractu ad vos peru... c, vtinam altero non magis saeuum. Gratulor vobis insignes Viros, qualis est SCHOEPFERVS. Aiebant id agi, vt Halis STAHLIVS Medicus ad vos euocaretur, sed ille non libenter relinquit suum nidum. Magnum aliquid a Breitenauiana rerum Cimbricarum Historia expecto. De Hanseniana libraria supellectile plura discere aliquando gratum erit. Indicem

 edi

edi, e re foret; vellem noſſe, quanti iudicent, modo aequum ſit pretium. Aiunt Hiſpanicis libris maxime abundare hanc Bibliothecam. Sed ii vix curantur a pleriſque, quum magis raritate, quam bonitate commendentur. Ego tamen vel ideo non ſpernendos cenſeo. A GRIMARETO interdum litteras accipio, ſed paullo rarius, mea potiſſimum culpa, qui non niſi paullo tardius reſpondere poſſum. Molitur ille nouam deſcriptionem totius Galliae peregrinantibus profuturam. Quod ſupereſt, vale et faue. Dabam Hanouerae 1715.

EPISTOLA CCIV.

I. *De vſu gladiorum in Academiis.* II. *De libro de tribus impoſtoribus.* III. *De Hackmanno, Nouarino et Leibnitii ſcripto de origine Francorum atque* IV. *De auctore hymni cuiusdam Gallici praecellentiſſimi.*

I. Veriſſimum eſt quod ſcribis de peſſimo vſu gladiorum in Academiis Germaniae. Sed niſi Principes caſu aliquo atroci excitati huc animum aduertant, nihil agetur; Oporteret initium remedii a Saxonibus proficiſci, qui ſibi, vt bene notaſti, directorium arrogant etiam in his rebus. Sed difficile eſt, tollere inolita vitia, et ſunt quae etiam ſpecie quadam virtutis imponunt.

II. Gratias ago pro indicio de libro illo famoſiſſimo, ſed fere nuſpiam viſo. Vbi quaeſo venduntur libri Meyeriani, et vnde poteſt haberi eorum Catalogus? Ego nondum vidi; fac mihi quaeſo hanc gratiam, et ſubmitte nu-

merum, et ipsa verba Catalogi, vbi mentio libri illius horribilis, idque vt quamprimum facias peto. (*)

III. Velim etiam nosse, an Dn. HAKEMANNVS adhuc apud vos agat? Gratum est, quod NOVARINVM habetis. Mihi videbatur non spernendus, et ei profuturus, qui aliquid in hoc genere praeclari moliretur. Gratum erit discere, quando Dn. frater Tuus in Galliam redibit. Iudicium Illustrissimi Dn. HOLSTENII et illustris ROSTGARDII aliorumque eruditorum Danorum de meo Schediasmate aliquando intelligere gratum erit.

IV. Dn. LA CROZE vnus ex Bibliothecariis Regis Borussiae scribit mihi; Auctorem Carminis Saphici Gallici, cuius primam stropham ad Te miseram, citari PHILIPPVM DE PORTIS (Philippe des Portes) in libro Gallico inscripto: Nouuelle Methode pour apprendre la langue Latine. Philippi huius Psalmorum versionem Gallicam exstare, sed esse paullo rariorem, et veri similiter illic exstituram Versionem Psalmi 127. vnde haec stropha sumta est integra. Interea vale et faue. Dab. Hanou. 24. Decembr. 1715.

(*) De libro *de tribus impostoribus*, qui in Mayeriana Bibliotheca fuit, conf. epistola Summi. Reu. D. BALTHASARIS Theologiae in Acad. Grypswald. Professf. quae extat in *Recueil de litterature, de Philosophie et d' histoire* Amst. 1730. ed. p. 33. s. Ceterum, quum liber de tribus impostoribus a FRIDERICO II. Imperatore scriptus esse dicatur, ni fallor, testimonio PETRI de VINEIS nullo negotio poterit probari nunquam hunc librum fuisse exaratum. Videlicet lib. I. Ep. Cap. XXXI p. 211. edit. Basil. 1566.

1566. PETRVS de VINEIS ipsius Imperatoris FRIDERICI II. nomine. *Inseruit enim*, inquit, *falsus* CHRISTI *vicarius fabulis suis, nos Christianae fidei religionem recte non colere, ac dixisse tribus seductoribus mundum esse deceptum, quod absit de nostris labiis processisse, quum manifeste confiteamur vnicum* DEI *filium coaeternum et coaequalem Patri ac Spiritui S. Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM, *ab initio et ante saecula genitum etc.* conf. Patris mei praefatio praemissa auito libro *de tribus impostoribus magnis* recuso Hamb. 1700. in 4. Inibi et haec verba ex epistola PETRI BAYLE ad parentem data inuenias: *Falsissimum est, exstare in Bibliotheca Baldeana hic Roterodami librum de tribus impostoribus, videnturque mihi omnes suspecti esse debere vel nomine fidei, vel nomine diligentiae, quicunque iactant, se tale opus manibus triuisse.*

EPISTOLA CCV.

I. *De libro de tribus impostoribus.* II. *De Bodini Colloquio.* III. *De Holstenii de schediasmate Leibnitii de origine Francorum iudicium desideratur.* IV. *De Loewenhoeckii obseruationibus anatomicis.*

I. Librum, qui in Meyerianae Bibliothecae indice de tribus Impostoribus audacter appellatur, tanti esse non puto, vt magno pretio redimatur. Cuiuis improbo et mediocriter docto tales nugas comminisci facile est. Vt vero haberi possit tale aliquid pro libro huius argumenti antiquo dudum iactato, deberet hoc doceri ex antiquioribus manuscriptis. Ego non paucas huius generis nugas vidi, semperque iudicaui, vix dignas esse quae legantur.

II. Vnum opus BODINI excipio, quod inscripsit de arcanis sublimium colloquium Heptaplomeres. In eo enim haud spernendam eru-

eruditionem esse, negari non potest; vt in omnibus BODINI. Itaque vellem edi viro docto cum dignis argumento animaduersionibus. Auctor colloquentes introducit Romanistam, Euangelicum, Reformatum, Iudaeum, Mahumetanum, Naturalistam, Atheum. Scena est Venetiis in aedibus colloquutoris Romanistae. Sententiam quisque suam non sine verborum moderatione tuetur: sed nihil definitur; Nisi quod Romanista semper suum solenne Epiphonema interponit: Ecclesiae credendum esse. Multa tanguntur, pauca fundotenus exhauriuntur. Ita enim magna futura fuisset libri moles; Qui in talem librum animaduertere vellet, deberet esse versatus in Philosophia, in Philologia sacra, seu linguis originalibus librorum sacrorum, atque etiam in Rabbinismo, ac denique in lectione Patrum Graecorum et Latinorum.

III. Facile intelligo, Illustrissimum HOLSTENIVM ob grauissima negotia dissertatiunculam meam non nisi per transennam inspicere potuisse. Vbi magis vacabit iudicium eius nosse opto, praesertim de Danicis, circa quae dixi aliquid noui.

III. LEEVWENHOEKIVS celeberrimus in Batauis per Microscopia obseruator quasdam suas obseruationes Anatomicas, nondum editas ad me misit. Eas ego misi ad Dn. SCHELHAMMERVM, et petiui, vt expenderet; nam solebat loqui de LEEVWENHOEKIO paullo contemtius, quam mihi Viri diligentia, et studium veritatis mereri videbatur. Peto quaeso, vt

vt cum iudicio suo mihi remittat, vt Viro vberius respondeam: hactenus enim respondi tantum breuiter et praeliminariter. Iudicium autem debet esse remotum ab omni acerbitate, ne Virum offendamus. Certum est ab HVGENIO, summi iudicii Viro, a societate Anglica, et ipso HOOKIO in Microscopiis aemulo aestimatas, et minime pro commentitiis habitas fuisse LEEVWENHOEKII obseruationes. Quod superest, vale et faue. Dab. Hanouerae 21. Ian. 1716.

EPISTOLA CCVI.

I. *Io. Burch. Maius laudatur.* II. *De festo Iuel.* III. *De Fr. Th. Koblio et Frid. Kosio.* IV. *De Rostgardo.* V. *De origine Francorum.* VI. *De Schelhammeri institutionibus medicis.* VII. *De Bodini colloquio, Lintrupio et Hackmanno.*

I. Quae pulchra ex penu Tua communicasti, recte accepi. Pulchra sunt Tua omnia, itaque non mediocri me beneficio hac transmissione affecisti. Gaudeo Dn. MAIVM vestrum, insignem virum ab eminentissimo SCHOENBORNIO pro merito aestimari; Dictione non minus, quam rebus et cogitatis placet.

II. Circa septentrionalium festum brumale, dictum Iuel, ego BEDAE sententiam amplector, a Wheel rota reuertentis sc. solas dictum notauit. Doctissimus SPERLINGIVS non fuit felix in Etymis.

III. Laudabile est institutum Dni KOHLII Rectoris vestri, id agentis, vt fugientes litteras sistat. Hactenus Dn. KOESIVM ignoraui,

sed

ſed meretur profecto non ignorari. Videtur enim profundius ſolito in nouam Analyſin inſpexiſſe, et credo, ſi huc intendat animum, poſſe ab ipſo conferri aliquid ad augendam ſcientiam. Itaque plura de eo noſſe gratum erit.

IV. Ampliſſimi ROSTGARDI pollicitatione quamquam benigniſſima non abutar. Eſt ille dominus rerum ſuarum. Ego nihil opto, vt praeclari eius labores in publicam vtilitatem conuertantur.

V. De origine Francorum Balthica, (quam nuper Dn. GVNDLINGIVS paullo frigidius, ni fallor, impugnauit Halis) noſſe ſententiam egregiorum inter Danos virorum, pergratum erit, ſed inprimis ſummi viri illius, cui meo nomine miſiſti.

VI. SCHELHAMMERI opus inſigne poſthumum curaui ad editionem procurandam commendari egregio LOCHNERO, inter Naturae curioſos Medicos eminenti. Gudianis laudibus mire faueo, et vel ideo Programma Maianum perplacuit. Gaudeo, praeclara manuſcripta ab ipſo collecta diſſipatione praeſeruata eſſe. Vtinam pleraque ipſius manuſcripta non periiſſent. Pro Leevwehoekianis remiſſis gratias ago. Neſcio, an Schelhammerianum opus Lipſia ſit remiſſum, fortaſſe gener Dn. D. BVRCHARDVS opus praeclarum ſoceri vtiliter augebit ex recentiorum placitorum Hiſtoria.

VII. BODINI opus cum viri eruditi animaduerſionibus exquiſitis edi mereretur. Hortandus eſt Dn. LINTRVPIVS, vt inſtitutum exſe-

quibus in iam exhaustas tot migrationibus regiones Vinidi demum successere. Nec video, cur non gentes inter Eidoram et Oderam partem populorum emittere communi consilio potuerint, quum agnatae essent, lingua moribusque iisdem; et cur non illis adiungere se potuerint etiam ex Saxonibus et Danis quidam (vti postea, cum Britanniam Saxones, Angliam futae inuasere) nam quod de odio aduersus Danos dicitur, fundamento carere arbitror, nec oriri nisi ex figmentis posterorum, qui perpetua inter Saxones, Danosque bella nobis narrant. Mihi iudicium Tuum de his rebus intelligere gratum erit, pariter atque aliorum amicorum. De vlterioribus Francorum Originibus nihil quod dicam habeo, quum desint autoritates. Vereor, ne benignitate Tua abutar. Vale et faue. Dabam Hanou. 8. May 1716.

EPISTOLA CCVIII.

I. *Petri M. Russorum Imperat. elogium.* II. *De Sperlingianis et meritis Danorum in studium Lexicographicis.* III. *De carminibus fatiloquis.*

I. Quum nobis tam vicinus fueris, doleo Hanoueram adiri non potuisse, vt conspectu Tuo frui liceret. Ego ad acidulas Pyrmontanas aliquot dies profectus sum, vt magni Russorum Monarchae exporrecta gratia fruerer; eidem per biduum, quod deinde Herrenhusae prope Hanoueram egit, adhaesi; miratus in tanto Principe non tantum humanitatem, sed et notitiam rerum et iudicium acre.

II. Vellem haberi notitiam reliquiarum Sperlingianarum et manuſcriptorum, quae ſeruat Cl. ARNAS MAGNAEVS. Merita Danorum in ſtudium Lexicographicum libenter video a Dn. FALSTERO celebrata. Potiſſima in eo genere BORRICHII laus eſt. Declamationem titulo TRIBVNI MARIANI QVINTILIANO attributam non legi. Νοθεία, vt opinor, facile apparebit ex dictione, vt in ψευδο: Petronio, quem NODOTVS quidam Belgradi repertum iactabat. Hiſtoria litteraria Romanorum ampli eſt argumenti. Interim praeter Hiſtoriam et iurisprudentiam Romani omnia fere Graecis debent. Eloquentia tamen eorum ſiue proſa ſiue vorſa mihi adeo Graeca non inferior videtur, vt aliquando etiam ſuperiorem putem. Veteres ICtos Romanos, quorum fragmenta in digeſtis habemus, ſemper ſum admiratus

Excudant alii ſpirantia mollius aera.

Tu regere imperio populos, Romane, memento

III. Elegans erit diſſertatio Tua de carminibus fatiloquis. Ibi rurſus, opinor, de carmine Lotichiano ages. Ego aliquando iuuenis diſſertationem moliebar de vaticinio Sapientum; vt in illo SENECAE: Venient annis ſecula ſeris etc. et in illo TACITI: vergentibus (per Germanos) imperii fatis; et in illo MACHIAVELLI de imminente Romanis caſtigatione; quibus poſtea addidi illos CONRINGII verſus, opus de finibus finientes, vbi ad Iſtrum

me-

Meminiſti autem et felicia
Germanam quando trepidabant vndique gentes
Ferri aciem, rurſumque eadem praeſage futuri
Fata ſequuturis ponto minitaris ab annis.

Caeterum licet me inter ſapientes non numerem, et in omen felix magnitudinis Brunsuicenſis, non iudicio, ſed impetu animi inciderim, praeſago tamen carmine aliquando ERNESTO AVGVSTO ab Oſnabrugae Hanoueram venienti gratulaturus, genti Brunſuicenſi opinione maiora promiſi:

Illius auxiliis iterum Germania victrix
Surget, et hoſtiles poterit contundere faſtus.
Illius auſpiciis coniunget brachia Rheno:
Albis, et Hercynios agnoſcent aequora montes.
Et ſuperi maiora parant, ſed talia Parcae
Noſcere mortalem prohibent, vel dicere Vatem.

DACHII etiam Poëtae Pruſſi memineris FRIDERICO recens nato, viuente fratre natu maiore, ſceptra apud Pruſſos Germanico carmine promittentis. A Dno. Fratre Tuo ſubinde gratum erit diſcere, quae ſcitu digna iter obtulerit; interea eum a me ſalutari peto, et incluſas etiam reddi. Quod ſupereſt, vale et faue. Dabam Hanouerae. 3. Iul. 1716.

EPISTOLA CCIX.

I. *De Petro Saxio Frisio.* II. *De Codice Valerii Maximi.* III. *De genio saeculi.* IV. *De Richardo Bentleio.* V. *Io. Neapolitani Athenis Cimbricis.* VI. *De Lexicis technicis.* VII. *De fatalibus nominibus, atque* VIII. *De Schelhammeri obseruationibus etymologicis.*

I. Infelicitate singulari euenit, vt quum ego semper paene instar cochleae domi haeserim, Dn. KNOCHIVS Tuus tunc venerit, quum ego in nundinas Brunsuicenses excurrissem; vbi etiam in aliquot dies vltra haesi, vt aulae satisfacerem. Scis enim esse officia quaedam, quibus deesse apud Principes viros per prudentiae regulas non licet. Quum SAXII librum memorares, ego illum cogitabam, qui de Ecclesia Arelatensi scriptus, et a Gallis, qua licuit, suppressus est, quod iura imperii in regnum Arelatense expressius testaretur, quemadmodum ex vita PEIRESCII a GASSENDO edita intelligi potest. Sed postea ex Tuis intelligo, hunc alium esse SAXIVM, genere Frisium. Eius icones antiquitatum vereor ne sint imaginariae. (*) Scis quantopere SVFFRIDVS PETRI et alii Frisii in fabulas luxurient; Meretur tamen haud dubie liber conseruari in aliqua Bibliotheca publica.

II. Nuper Serenissimus Dux Gothanus Brunsuigae codicem quendam redemit VALERII MAXIMI cum versione Gallica eleganter duobus magnis Voluminibus ante hos 300. fere annos scripta.

III. Cre-

III. Credo me iam respondisse ad quaesitum de genio seculi. Verbo dicam, est modus loquendi, quemadmodum apud TACITVM corrumpere et corrumpi seculum vocatur, id est, quod Gallice dicunt, la mode. Recte iudicas, nullam per se esse temporis efficaciam, quod vniforme est, nisi rebus in eo euenientibus varietur. Quasdam virtutes, quaedam vitia, quasdam opiniones, quaedam studia certis temporibus plus minusue regnare, res ipsa ostendit. Hoc ergo sensu mos regnans seculi metaphora quadam genius dicetur. Qui vero altius aliquid subesse putant, tamquam peculiares quaedam intelligentia sit huic seculo praefecta, haud dubie errant.

IV. Vereor, vt vera sint, quae de libris a Cl. BENTLEIO in vsum Principis Cornubiae edendis in diariis quibusdam leguntur. Et tamen vera esse, aut vera fieri velim.

V. Ego putem vtilissimum fore opus Dn. IOH. NEOPOLITANI, quod Athenas cimbricas inscribet, et in quo Graeca Teutonicis conferet, sub quibus ego non nostra citerioris Germaniae tantum, sed et septentrionalium Germanorum res comprehendo. Etsi enim non putem Teutonica ex Graecis orta, puto tamen Graeca et Teutonica ex communi fonte scythico fluxisse. In hac re ostendenda et illustranda iam operosi fuere FRANCISCVS IVNIVS iunior et MERICVS CASAVBONVS, sed non dubito multa adhuc addi posse.

VI. Magnus hodie Lexicorum eſt prouehtus, ſed non concinnantur, qualia vellem. Ego pro Hiſtorico-Geographicis, quibus nunc paene laboramus, Technica deſiderem, quae in quauis lingua, vt Germanica, Anglica, Italica, vocabula, quae apud Artifices, manuarios etiam, aliaque vitae genera frequentantur, colligant, explicentque. Galli in genere Lexicorum omnes alias nationes vicere. Nam praeter Academicum receptorum in commune vocabulorum, habent Technicum, tum Fvreterii tum Academico adiectum Cornelii. His adde praeclarum Etymologicum vel Gloſſarium Menagii, quo vocabula obſoleta et prouincialia etiam afferuntur, et ex iis recentium originationes exhibentur; Spero tale quid in Germanico daturum Eccardivm meum; Sed Technicum illud iam dudum deſidero, et Bibliopolis, nugas potius conſcribillari curantibus indignor.

VII. Etſi inania ſunt, quae de fatalibus nominibus iactantur in vulgus, placent tamen, vt felicia Anagrammata rebus conſona, aliaeque huiusmodi obſeruationes, quibus ludit ingenium humanum: Iacoborvm in Scotia infelicium regulam exceptione magna infirmauit ille, qui Anglicum ſceptrum Scotico adiunxit; ſed Iacobvs II. ad regulam rediit. Gallici Reges a Iohannis nomine abhorruiſſe videntur, ex quo Rex huius nominis captus eſt, nec Angli poſt Ioannem ſine terra ad Iohannem Regem rediere. In Luſitania

Ioan-

IOANNES Reges non male rem gerunt. Sed talia omnia ad lusus ingenii refero, qui tamen apud vulgus efficaciam habent. Imperator AVGVSTVS, ni fallor, CAII OCTAVII nomen habuit ante adoptionem, an ideo, vt alii CAII, infelix non fuit, quia postea omisit? APPII CLAVDII superbi fuere, sed nescio an superbia CLAVDIO AVGVSTO obiici possit, qui etiam ad caussas audiendas et Advocatorum iurgia se demittebat.

VIII. Dominus ECCARDVS meus notauit olim in litteris Schelhammerianis ad Dn. WAGNERVM Helmstadiensem Mathematicum scriptis, multa virum celeberrimum in Teutonicis Etymologiis meditatum. Mererentur ea non perdi, nomina plantarum prae ceteris hanc curam sibi vindicarunt. Quidam vester, doctus vt apparet et ingeniosus, Analyticorum specimen per Te mihi misit. An plura ab eo exspectare licebit? Peto Dn. MOSHEMIO qui ad Te prouocauit, responsionem meam adiunctam reddi. Quod superest, vale et faue. Dab. Hanou. 16. Octobr. 1716.

(*) PETRVS SAXIVS, Euensbulla Strandfrisius natus anno 1597. multa volumina maioris formae, eaque densiora, si a duobus discesserim, manu sua docta et diligenti impleuit, quae publicae luci nondum sunt exposita. In iis est I. *noua totius Frisiae septentrionalis descriptio*, quam anno 1636. elucubrauit. II. *Commentarius de praecipuis rebus gestis Frisiorum septentrionalium, breuiter descriptis et iconice adumbratis e summis antiquitatum tenebris productis.* III. *Frisia minor, quae ex tabulis Geographicis et chorographicis constat, addita latina, sed breuiore descriptione*, quam contexuit anno 1638. IV. *Descriptio Insu-*

